This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 02266043 9

Ex Libris

Petri Jacobi Taling van Berkheut

J.U.D.

1832.

YAEY

Vuller.

DIATRIBE

IN

SOCRATICAM 'ΕΠΑΓΩΓΗΝ,

PRAESERTIM

E XENOPHONTIS MEMORABILIBUS

DUCTAM.

(Vullers)
ΥΑΕΥ
~~1365~~

DIATRIBE
IN
SOCRATICAM 'ΕΠΑΓΩΓΗΝ,
PRAESERTIM
E XENOPHONTIS MEMORABILIBUS
DUCTAM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

ADAMI SIMONS,

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. DOCT.
ET PROF. ORD.

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE
THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIO-
RUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS
HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

ISAÄCUS DE VULLER,
Zutphaniâ - Gelrus.

DIE XXI M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXII, HORA XII.

TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFIC. PADDENBURGII ET SOC.
MDCCCXXXII.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
95358
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
1898.

PARENTIBUS

AC

PRAECEPTORIBUS,

HANC QUALEMCUNQUE DISPUTATIONEM,

QUO DECET, ANIMO,

D. D. D.

FILIUS ET DISCIPULUS.

Οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα εἰς ᾅδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται,
πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς.

Plato.

PRAEFATIO.

Quum, decursis propemodum Academiae spatiis, nil antiquius haberem, quam ut, meo aliquando tempore, doctoris gradum consequerer, de Socratica ut scriberem ἐπαγωγῇ, causae mihi extiterunt et variae et multae. Nam quandoquidem per annum, quod in hac Academia transegi, tempus, de Socrate praeclare existimare didiceram, ita, in luce ponere summi philosophi ἐπαγωγὴν, in animum induxi. Recentiores enim videbam, inde a Baconis aevo, cum ea confudisse inductionem, *inductos scilicet Ciceronis auctoritate, qui saepenumero vocabulo hocce Latino usus est. Atqui Cicero eo non ἐπαγωγὴν, sed παραγωγὴν, proprie sic dictam* inductionem, *qua inducuntur ad assentiendum homines, intellexit. Quo minus Turnebus et Lambinus παραγωγὴ, quod exstat apud Ciceronem Top. 10, in ἐπαγωγὴ mutare debuerunt. Hoc igitur cum viderem, accedente, vel potius praecedente,* Heusdii, *V. Cl., auctoritate, missâ* inductione, *ipsum e fontibus petere Socraticam ἐπαγωγὴν constitui, ut, Xenophonte in primis diligenter legendo, ex hoc potissimum auctore dialecticam Socratis germanam et ipse perciperem, et scribendo adumbrarem.*

rem. Qua in re et suscipienda et peragenda, quid secutus sim, lectores vident: num vero assecutus illud sim, nemo forte me magis in dubium vocabit.

Hisce verbo notatis, gravissimum mihi peragendum restat officium; quo omisso, nescio utrum aliis, an mihimet ipsi, magis viderer ingratus. Nam cum ab eo inde tempore, quo literis operam navare coepi, primum in gymnasio, quod Zutphaniae est, tum vero in hac alma Musarum sede, praeceptores mihi obtigerint, qui, non minus disciplinâ, quam suo ipsi exemplo, Socraticam mihi institutionem veluti spectandam praeberent, horum ductui, dici non potest, quantum ego, cum ad proficiendum in his literis, tum ad hanc conscribendam de Socraticâ ἐπαγωγῇ disquisitionem, debuerim. Quod cum cogito, est sane, quod doleam, me vestris, Viri eruditissimi, in me collatis, beneficiis ita imparem esse, ut, quod animus gestit, tamen mea me prohibeat infantia. Quocirca, quod possum, D. O. M. oro atque obsecro, ut, mutatis temporibus, ex vestra disciplina multi proveniant, qui, in patriae atque humanitatis commodum, ingenio certe, palmam mihi praeripiant!

Animo meo vix debitum solvi, quin ecce sponte in memoriam redeo temporis illius, quod una cum amicis et commilitonibus sic transegi, ut, quidquid fors ferat, tamen istud κοινὰ τῶν φίλων mihi portum praebeat ac solatium. Vos igitur valete, vobisque ita persuadeatis, ut, qui vestris commodis atque incommodis me magis adhaereat, in amicis certe, habeatis neminem.

DI-

DIATRIBAE,

IN

SOCRATICAM ἐΠΑΓΩΓΗΝ,

PROÖEMIUM.

Ut recte nobis procedat de Socraticâ ἐπαγωγῇ disquisitio, praemonenda videntur nonnulla cum de Sophistis et Rhetoribus, qui Socratis aetate floruerunt, tum de ipso Socrate, quo magis et hunc cum illis comparemus et inde illustremus Socraticae dialecticae rationem. Haec enim illorum eloquentiae, quae speciem spectabat, non veritatem, plane fuit opposita.

Itaque bello Persico ad eventum felicem perducto, heroicorum facinorum memoria, Atheniensibus libertatis sensum sic excitaverat, tum hostium manubiae ac θαλασσοκρα-

τίκ, (1) Athenas ultro delata, tantas iis conciliaverant divitias, ut in artibus et scientiis nil non susciperent, peragerent autem illud facillime. At cum divitiae luxum afferrent moresque corrumperent, ac libertati succederent levitas et licentia, patuit τὴν ἄγαν ἐλευθερίαν οὐκ εἰς ἄλλό τι ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ἰδιώτῃ καὶ πόλει, (2) puerorumque educatio, quae antea, e Solonis instituto, informandis ad virtutem ingeniis et gymnastica continebatur, latius spectare et ejusmodi tradi coepit hominibus, qui Atheniensium voluntatem, quoquo vellent, traherent idque oratione maxime efficere conarentur, modo suavitatis lenociniis demulcente ac permovente, modo deterrente gravitate et vehementia. Hi homines, Sophistae vulgo appellati, Athenas, tanquam in universae sapientiae Graecae prytaneum, undecumque confluentes atque ad temporum se accommodantes rationem, omnium rerum profitebantur peritiam, inprimis quemadmodum ad civitatis principatum pervenirentur; cujus admirabilis opinione sapientiae magnam apud plerosque, apud adolescen-

(1) Vid. Heeren, *Ideen*, Tom. VI. vers. Belg. p. 178 et 182 sqq. coll. cl. J. Geel, *Historia critica Sophistarum*, qui Socratis aetate Athenis floruerunt. p. 243.

(2) Plato de Rep. VIII. p. 564 A.

centulos autem incredibilem nanciscebantur gratiam et auctoritatem.

Animum illi tabulae instar rasae informantes, ac hominem omnium rerum facientes mensuram, corporis sensibus omne, mentis vero ὀργάνῳ, ᾧ μόνῳ ἡ ἀλήθεια ὁρᾶται, tribuebant nihil. Religionem tollentes Deorum, virtutem utilitatis maxime emolumentique causa colendam esse perhibebant. Hinc, quod unice spectabant, latissimum sibi aperiebant campum, in quo, disputando, dicendo et orationibus de nullis non rebus publice habendis, vinculis soluti possent excurrere. Rhetoricam autem ita habebant in deliciis, ut ad eam omnia referrent, atque huic universas artes et disciplinas, ne philosophiâ quidem exceptâ, subjicerent. Neque magis commendanda ratio, quâ in Rhetorica sive exercendâ sive discipulis suis tradenda, fuere versati. Quamvis enim praecepta non omnino omitterent, magis tamen suam eloquentiam ostentare, quam viam monstrare studuerunt, quâ ad illam facultatem esset perveniendum; satis habebant, si discipulis distributionem artis et dicendi artificia inculcavissent: parum meminerant, recte scribendi principium et fontem esse sapientiam, oratoris actionem arbitrabantur opinionibus, non scientia contineri. — Sermones hoc consilio habiti,

qui peculiari vocabulo ἐπιδείξεις (1) nuncupabantur, magnâ constabant exemplorum copiâ, sine certâ normâ, ad quam illa exempla essent referenda atque exigenda. Eos autem uti festivitatibus nimis quaesitis condiebant, ita istiusmodi fere ordiebantur proöemiis, qualia, prolusionum instar tibicinum, qui ὅ τι ἂν ἔχωσι αὐλῆται, τοῦτο προαυλήσαντες, συνήψαν τῷ ἐνδοσίμῳ (2) non quidem cum argumento apte cohaererent, sed eloquentiae haberent commendationem.

In philosophiâ, quacum, missa poësi, conjunxerant eloquentiam, unice spectarunt ratiocinandi subtilitatem, ita ut, posthabita rerum intima cognitione, in voculis haererent, quaeque rationibus evincere aut confutare non possent, haec misera argumentandi subtilitate argutiisque in omnes partes versarent ac nebulas veritati objicerent. Ita Sophistae, cum e philosophiâ non minus quam ex eloquentia vim tollerent moralem, quamvis et philosophi et oratores, utriusque tamen nocuerunt principiis. Quibus omnibus, uti et legum, qui inde ortus est, contemtu factum apparet primum ut rectam veritatis viam sibi praecluderent, tum

(1) De his vid. cl. Geel, quem passim consului, l. c. p 64.
(2) Aristot. Rhet. III. c. 14. Cf. cl. Geel, l. l. p. 57.

tum ut equorum instar indomitorum effreni exsultarent, et tandem ut praejudicatas suas opiniones, ceu sempiternas foedissimae turpitudinis notas, studiosae juventuti inurerent. (1)

Huic hominum generi Socrates aliam plane et philosophandi et disserendi rationem opposuit. Nam, quemadmodum nos docet ejus cum Aristodemo et Hippia Sophista sermo, (2) ab homine ad Deum assurgens, defendit cum animi αὐτοκινησίαν, (3) tum ἐμοίωσιν probavit τῷ θεῷ, (4) omnemque mentis aciem eo intendit, ut ex mundo hocce adspectabili in alterum, eumque intelligibilem et unice verum, educeremur. Porro, cum Sophistae longis habendis orationibus singulis fere opportunitatibus doctrinam suam ostentare studerent, Socrates contra eam dissimulans ac semet ipsum ἰδιώτην ἄνθρωπον, *hominem imperitum*, (5) vocans, in omnibus fere sermonibus, qui ab iis, qui

(1) Non est, quod h. l. Sophistas et Rhetores diligenter distinguam. Veritatis habita ratione simillimi erant. Sic de iis Plato in Gorgia p. 465 C. ἅτε ἐγγὺς ὄντων, φύρωνται ἐν τῷ αὐτῷ καὶ περὶ ταὐτὰ σοφισταὶ καὶ ῥήτορες, et p. 520 A. ταὐτὸν ἐστὶν σοφιστὴς καὶ ῥήτωρ, ἢ ἐγγύς τι καὶ παραπλήσιον. (2) Xen. Mem. I. 4. et IV. 19. sqq. (3) De hoc placito dignus est qui legatur Wytt. ad Phaedonem p. XIX. (4) De summo hoc philosophiae moralis proposito palmarius exstat locus in Plat. Theaet. p. 176 B. (5) V. c. apud Platonem in Ione p. 532 E et in Phaedro p. 236 D.

qui illum audierunt, perscripti varie, copioseque sunt, ita disputat, ut nihil adfirmet ipse, refellat alios; nihil se scire dicat, nisi id ipsum; eoque praestare ceteris, quod illi, quae nesciant, scire se putent, ipse, se nihil scire; id unum sciat; ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod haec esset una hominis sapientia, non arbitrari, sese scire, quod nesciat. (1) Neque mihi aliquis objiciat, temere me assensum fuisse Ciceroni, cum Protagoras similiter, nihil sciri posse, adfirmaverit. Hic enim, ut hominis sui consuleret celebritati, ut verae doctrinae defectui succurreret, atque vanae eam scientiae ostentatione compensaret aut artificio celaret, de omnibus rebus induxit dubitationem; fuitque ejus ἀντικείμενος λόγος non, quemadmodum Socratis, oratio veritatis indagatrix, non errorum falsarumque opinionum expultrix, sed inani vocabulorum aucupio auditorum animos occupans, ac voces, non res ipsas refellens. (2) Praeterea, ut idem animadvertit Cicero, (3) est et minime inepti hominis, et ejusdem etiam faceti, cum de sapientia disceptetur, hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere il-

(1) Cic. Acad. I. 4. (2) Vid. cl. Geel, op. c. p. 119.
(3) In Bruto 85.

illudentem; qui eam sibi arrogant; ut apud Platonem Socrates in coelum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inscium fingit et rudem, decet hoc, nescio quomodo, illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior.

Uti agricolae solent τοῖς φυτοῖς ἀντὶ πονηρῶν αἰσθήσεων, ὅτάν τι αὐτῶν ἀσθενῇ, χρηστὰς καὶ ὑγιεινὰς αἰσθήσεις τε καὶ ἀληθεῖς ἐμποιεῖν, (1) sic existimabat Protagoras, justa omnia et utilia hominum animis indi posse. Longe vero abfuit Socrates, ut hanc docendi rationem probaret. Fatebatur enim, se non aliis suam tradere doctrinam, sed id se agere, ut ea, quae in juvenibus

(1) Vid. Plato in Theaet. p. 167 B collatis iis, quae disputat cl. den Tex, *de vi Musices* vel. p. 156 et cl. Goel, op. c. p. 109 sqq. Nos vulgatam ἀληθῆς retinuimus, quamquam fatendum omnino, lectionem ἀληθείας, quam Schleiermacher in Anim. ad versionem Plat. Theaet. p. 508 proposuit, habere, quo se commendet. Nam, ne dicam, adjectivum, ἀληθῆς, παρίλκων, versamur hoc loco in celebri isto Protagoras placito: *hominem omnium rerum esse mensuram*, quod peculiari libro, Ἀλήθειαι inscripto, prodiderat et explicuerat, undeque sequeretur, ut omnia non *essent* sed *fierent*, omnino nulla haberetur *veritas*. Ad hanc igitur Ἀληθείας cum frequens fiat allusio, facile eo adducaris, ut pro ἀληθῆς cum Schleiermachero legas ἀληθείας. Conf. ejusdem Theaet. p. 162. A et p. 171 C. et doct. Groen van Prinst. Prosopogr. Plat. p. 80.

bus latent scientiae semina, haec eliceret, quae bona essent, confirmaret, prava vero, tanquam ἀνεμιαῖα, rejiceret. Constat praeterea, universe Sophistas in rebus subtilissimis et abstrusissimis operam posuisse, tum eo processisse arrogantiae et audaciae, ut, se unumquemque mercede virtutem docturos esse, pollicerentur, ἐρωτᾷν juberent, ὅ, τι τὶς βούλοιτο, καὶ πρὸς ἅπαντα se ἀποκρινεῖσθαι ferrent. (1) Audax sane negotium; dicerem impudens, inquit Cicero, (2) nisi hoc institutum postea translatum ad philosophos nostros esset. De Hippia adeo memoriae proditum est, ὅτι, in Sophistarum apud Calliam conventu, Jovis instar Olympii ἐν θρόνῳ καθήμενος, ἑκάστοις αὐτῶν διέκρινε καὶ διεξῄει τὰ ἐρώμενα. (3) Jam Socratem si respicimus, hic, tanquam unus e multis, in mediis versabatur hominibus, atque illud tenens: ὅτι πολὺ κρεῖττον ἐστι περὶ τῶν χρησίμων ἐπιεικῶς δοξάζειν, ἢ περὶ τῶν ἀχρήστων ἀκριβῶς ἐπίστασθαι καὶ μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις, ἢ πολὺ διαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μηδὲν πρὸς τὸν βίον ὠφελοῦσιν. (4) hoc igitur tenens, quoque facilius et ipse et alii invenirent ve-

(1) Conf. Plato in Gorgia p. 447 C. (2) De Fin. II. 1.
(3) Vid. Plat. Protag. p. 315 C et doct. Groen van Pr. op. c. p. 92. (4) Isocrates Helen. Enc. C. 1 et 2.

vera, non confirmabat continuo, probabat et demonstrabat, sed interrogabat duntaxat et quaerebat. Itaque a quotidianis vulgaribusque rebus iisque interrogationibus orsus, a quibus nihil sibi alii metuendum suspicarentur, his initiis insistens eo gradatim perveniebat, ut adversariorum, quae videbatur doctrina et sapientia, repente tota corrueret. Hinc mira illa simplicitas, qua Socratis ratio se commendat; et uti ipse, nil visus perficere, perfecit quam plurima et optima, ita Sophistae, ut adolescentes apud Platonem, (1) dici possunt χαίρειν, ὥσπερ σκυλάκια, τῷ ἕλκειν τε καὶ σπαράττειν τῷ λόγῳ τοὺς πλησίον ἀεί. Patet hoc ex Platonis Euthydemo, (2) ubi Euthydemus et Dionysodorus Sophistae Cliniam, juvenem quemdam, quaestionibus ita adoriuntur, ut plane catulorum more eum σπαράττειν videantur, donec Socrates, istam δεινότητα perosus, ipse cum juvene sermonem inchoat de virtute bene vivendi fine, ac, summa felicitate definita, eum docet, solam sapientiam ad beatam vitam sufficere.

Socratis dictio, uti novimus, non minus quam ipse Socrates, cum Xenophonti tum Pla-

(1) De Rep. VII. p. 539 B. collato cl. Heusdio, Init. Phil. Plat. Vol. II. P. II. p. 160. (2) Inprimis p. 275 D. sqq.

Platoni Silenis videbatur simplicior. (1) Sophistae contra, inprimis Gorgias, τῆς λέξεως operam dederunt σχηματισμοις περιττοτέροις, καὶ τῇ φιλοτεχνίᾳ διαφέρουσιν ἀντιθέτοις καὶ ἰσοκώλοις καὶ παρίσοις, καὶ ὁμοτελεύτοις, καὶ τισιν ἑτέροις τοιούτοις, ἃ τότε μὲν διὰ τὸ ξένον τῆς κατασκευῆς ἀποδοχῆς ἠξιοῦτο, νῦν δὲ περιεργίαν ἔχειν δοκεῖ, καὶ φαίνεται καταγέλαστον, πλεονάκις καὶ κατακόρως τιθέμενον. (2) Orationis illae festivitates, "paria nimirum paribus relata, et similiter conclusa, eodemque pacto cadentia; et immutatione literae quasi quaesitae venustates," (3) fugiendae sane, ne elaborata concinnitas, et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat, dici vix potest, quantopere Sophistis placuerint. Quocirca quod dicit Cicero, (4) Socratem sapienter sentiendi et

(1) Constat, similitudines et exempla, quae Socrates a fullonibus, coriariis, figulis petere solebat, saepe Sophistis risui fuisse. Sed hanc disserendi rationem plus habuisse in recessu, quam fronte promitteret, praeclare docet Plato Sympos. p. 215 A, ad quem locum conf. F. A. Wolf, in editione, quam Platonis Convivii paravit p. 113 seqq. collato Xen. Conv. 4, 19 et 5, 7. ac Mem. I. 2. 37. ubi vidd. Schneiderus in Nota et Ruhnk. in Ann. p. 294. Deque Socratica dictione, naturae simplicitate conspicua, legenda commendamus ea, quae inveniuntur apud Laveaux, *Histoire des sciences dans la Grece.* T. IV. p. 137. (2) Diod. Sic. L. XII. p. 513 (3) Cic. Orat. 25. (4) De Orat. III. 16.

et ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, disputationibus suis separavisse, indeque discidium illud extstitisse quasi linguae atque cordis, absurdum sane et inutile et reprehendendum; ut alii nos sapere alii dicere docerent, hoc, cum Barthelemio, (1) eloquentiae magis abusui, quam Socratis culpae tribuendum censemus. Namque Sophistae atque oratores exemplo suo probarunt, eloquentiam sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse numquam. (2) De Demosthene contra constat, eum eo maxime caeteris oratoribus Graecis excelluisse, quod Socraticae philosophiae principia dicendo expressit, neque aliunde repetendam esse, quod etiamnunc legentium:

« *Regit dictis animos, et pectora mulcet.*" (3)

Sed haec uti inprimis faciunt ad discrimen notandum, quod Socrati cum Sophistis intercessit, ita illud etiam animadvertere juvat; Socratem rem, de qua ageretur, ne temere vagaretur oratio, ex ejus natura apte definivisse et

(1) *Voyage d'Anacharsis* IV. p. 413. (2) Cic. de Inv. I. 1. (3) Virg. Lib. I. Aen. vs. 153. Conf. Wytt. Op. Vol. I. p. 148. inprimis cl. Heusd. op. c. Vol. II. P. I. p. 79 seqq.

et non tantum vidisse, quid quisque diceret, sed quid cuique dicendum esset; cum Sophistae, contendentes potius quam disputantes, definitionem plane omitterent ac duntaxat sententiam ponerent, quam sive dicendo sive scribendo librisque condendis probarent. Quod ut plenius percipiatur, recurrendum videtur ad eundem Platonem, qui ostendit: in eo errare Sophistas, quod de quibusvis rebus disputationem instituerent, quarum tamen non satis accuratam, nedum omnibus numeris absolutam definitionem posuissent: unde sequeretur, ut de rerum particulis obiter et copiose loquerentur, nunquam vero earum originem et fundamenta indagarent. Itaque Socrate Menonem interrogante, quid sit virtus, hic nil nisi aliquot virtutum species enumerat. (1) Similiter Protagoras, virtutem sese traditurum professus, quid sit virtus, ignorat; (2) et Cratylus, cum statuisset ὀρθότητα esse ὀνομάτων, dicere non poterat, quaenam esset. (3) Rectius Socrates ἐν γέ

(1) Plato in Menone p. 71 D. (2) Vid. Plat. Protag. p. 329. C. (3) Crat. p. 384 A. Eadem fere ratione Plato in Phaedone p. 101. E. φιλοσόφοις opponit ἀντιλογικοὺς, qui ἱκανοὶ εἰσὶν ὑπὸ σοφίας ἐμοῦ πάντα κυκῶντες, ἔμως δύνασθαι αὐτοὶ αὐτοῖς ἀρέσκειν. et in Phaedro Lysiam multa dicit peccasse, veluti definitionem omisisse et caetera χόδρα βαβλωκέναι τὰ τοῦ λόγου. p. 264. B.

γί τι quaerebat κατὰ πάντων, id est, τί εὐσεβὲς, τί ἀσεβές· τί καλὸν, τί αἰσχρόν· similia; (1) et Sophistis rerum concedens simulacra, ipse, his missis, ad αὐτὰ τὰ ὄντα, ad ipsas ideas, quae sunt immutabiles, omnem intendebat mentis aciem.

Ex hacce disputatione de ratione docendi Socratica, non minus quam Sophistarum, illud videmur posse efficere, primum: artem non uti Sophistas cogitasse Socratem, imo vero naturae via artibus docendi, quas excogitaverant publiceque crepabant et docebant, sese opposuisse, (2) tum, quod inprimis volui, illud inde efficio: Socratem, cum Sophistis comparatum, iis ita apparere oppositum, ut hi ipsis erroribus suis opportunitatem videantur dedisse, ut Socrates rectam ad veritatem virtutemque viam docendo monstraret.

Illuc haec pertinent, ut, quae fuerit ratio dialecticae Socraticae, quodammodo jam suspicemur: sed, quandoquidem philosophi ἐπαγωγὴ non rerum tantum disquisitionem, sed emendationem etiam morum spectavit, de ipsis et Sophistarum et Socratis moribus nonnihil adjiciendum.

Vi-

(1) Xen. Mem. I. 1. 16. (2) Vid. cl. Heusd. op. c. Vol. II. P. II. p. 86.

Vitae namque honestate insignem fuisse Socratem, probat historia. Cujus rei si testem quaeris, quidni Xenophontem, qui πόλλων est ἀνάξιος ἄλλων ad Socratem cum cognoscendum tum rite dijudicandum, sequamur ducem? Xenophontem dico, qui Socratem aeque in animo ac oculis ferens, ita eum repraesentat, ut nullum restet dubium, quin Anytus, cum Sophistarum ageret patrocinium Socratemque accusaret, doctrinae non minus quam universae docendi et agendi rationis diversitate, eo adductus appareat. Patet hoc ex iis, quae apud eum cum Antiphonte Onirocrite disseruit Socrates. (1) Ille enim, utpote Sophista, cum Socrati victum habitumque tenuem et gratis docendi consuetudinem objecisset, hic partes suas ita agit, ut hinc maxime illud concludam: Socratem Sophistas tanto post se reliquisse intervallo, quantum in bello, patriae vindicandae causa suscepto, is, qui cauponatur bellum, prae belligerante fide ac laude videtur destituendus. Namque Sophistae, virtutem post nummos ponentes omniaque rhetoricae adaptantes, nil aliud studebant, nisi ut copiose ornateque dicendo ac sagacitatem ostentando, juvenum divitias veluti depascerent. Socrates contra, praeter virtutem

(1) Xen. Mem. I. 6

tem et sapientiam nihil habens privum atque suum, καλοκαγαθίαν tanto prosequebatur amore, eaque incensus tanta in humanum genus contulit beneficia, ut, qui ad celebratum illud: ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν, (1) Socrate propius accesserit, in Graecis certe, inveniamus neminem.

(1) Matth. XXII: vs. 39.

§ I.

§ I.

Dialectica Socratica.

Qui ante Socratem dialecticae operam navarent, ut caeteros taceam, praeter Eleaticos inprimis fuere Sophistae. Quodsi sermo est de vera dialectica, de disciplinarum omnium regina, philosophiae administra et adjutrice efficacissima, missis Eleaticis et Sophistis, unice in censum venit Socrates.

Eleatici enim, familiaritate contracta cum Siculis hominibus, qui jam aliquamdiu artem excoluerant Rhetoricam, non eam, quam quaerimus, probarunt dialecticam, sed talem, qualis unice conveniret Atheniensium cum morum corruptelae, tum Democraticae regiminis formae. (1) Quid dicam Sophistas? qui *οὐ τέχνην, ἀλλὰ τὰ ἀπὸ τῆς τέχνης διδόντες, παιδεύειν ὑπελάμβανον*, et, quae essent *κομψά τε καὶ ἐριστικὰ καὶ μηδαμόσε ἄλλοσε τείνοντα ἢ πρὸς δόξαν καὶ ἔριν*, *scita atque ancipitia nec nisi opinioni ac contentioni locum facientia;* haec igitur studiose sectabantur, eo maxime consilio, ut, Zenonem Eleatem imitati, de omnibus rebus in

(1) Vid. cl. Geel, op. c. p. 237. sqq.

in utramque partem possent disserere. (1) At Socratem si quaeris, hunc Petrus Ramus, (2) in Scholis dialecticis, recte censet, universos unum non tantum ethicâ, sed logica quoque philosophiâ longissime superasse, et omnium philosophorum superiorum fuisse non solum natura, sed arte et naturâ λογικώτατον. (3) Sed hoc est, quod vulgo non satis solet attendi: Socraticam nimirum dialecticam, quamvis naturam haberet ducem, artis tamen viam et rationem non neglexisse. (4) Et sane equidem, experientia edoctus, fateor, primo obtutu hoc non ita in oculos incurrere, quin dicas subinde, quaerendo et sermonibus miscendis totam eam absolvi; sed idem, quod nollem, latuit Logicos haud paucos, apud quos Stoicorum centies fit mentio, cum de Socrate aut Socraticis ne verbum quidem invenias. Itaque, Socratem celebrantes tanquam *parentem* philosophiae, ejus dialecticam tantum non intactam reliquerunt, parum reputantes, eundem perpe-

(1) Vid. Aristot. de Sophisticis Elenchis, Lib. I. 34. collato nob. de Geer, diss. I. p. 12. (2) Hic ille est, qui, restitutis bonarum literarum studiis, dialecticen, cujus vim mente complexus erat, ex scholae umbra ad vitae veritatem revocavit, ad disciplinarum rationem adhibuit, et ad antiquam elegantiam conformavit. Vid. Wytt. in Prol. ad Praec. Phil. Log. p. 16. (3) Vid. Fabric. B. G. Tom. II. p. 678. (4) Vid. cl. Heusd. op. saepius l. Vol. II. P. II. p. 86.

péram talem fuisse habitum, nisi singulas philosophiae partes apte secrevisset et dialecticae ope excoluisset. Sed Logicorum ineptias ne miremur. Socrates enim et Socratici cum rerum inventoribus hoc habuere commune, ut sponte, natura duce, multa proferrent, quae posteri, res antiquas novis verbis exprimentes, in usum adhiberent et tanquam sua proponerent. Sic, ut rem exemplo illustrem, discendi cupidus, scire si velis, quid sit philosophia? Logicus unus alterve te docebit: philosophiam esse studium sapientiae, sapientiam autem rerum divinarum et humanarum scientiam sive cognitionem, (1) et ad res divinas referri physica et theologiam naturalem, ad humanas vero dialecticam et ethicam; tum, quod inprimis tenendum, illud insuper addet: hanc definitionem deberi Stoicis. (2) Verum Socratem jam dis-

(1) Haec definitio exstat apud Cic. de Fin. II. 12. paulo autem mutata de Off. II. 2. et magis amplificata, T. Q. V. 3. Vid. Wytt. in Prol. ad Praec. Phil. Log. pag. 1. (2) Vid. Ernesti in Jnd. Lat. voce *divinus* et Wytt. Praec. Phil. Log. p. 96. prae reliquis autem Lucianus in *Hermotimo*, sive *de sectis* p. 822 et 823. ed. Reitz. Tom. I. quamquam Cicero Acad. I. 4 et 8. auctor est, jam ante Stoicos, Academicos et Peripateticos, Platonis ubertate completos, certam quamdam disciplinae formulam composuisse, rerumque probasse definitiones, et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibuisse. Conf. cl. Heusd. Vol. I. P. I. p. 70.

distinxisse apud Xenophontem inter τ' ἀνθρώπινα et δαιμόνια, atque his significasse doctrinam de moribus et de naturâ, (1) justoque philosophiae progressu per dialecticam ab homine ad Deum et res Divinas escendisse, vix ullus attendit. Quod eo magis mirandum, quandoquidem Proclus jam disertis verbis testatur: Socratem in Politia dixisse: διὰ τῆς διαλεκτικῆς καὶ μέχρι τοῦ ἀγαθοῦ τὴν ἄνοδον εἶναι τοῖς φιλοθεάμοσι τῆς ἀληθείας (2) Sed ad ipsam accedamus Socratis Ἐπαγωγὴν.

§ II.

Socraticae Ἐπαγωγῆς *natura.*

Res ex ipsarum explicare naturâ, quamvis simplicissimum, idem tamen etiam est difficillimum. Natura enim fert, ut, nisi sensim paulatimque, interjecto tempore, sacra sua recludat, atque ita sui cultoribus aditum praebeat. Nos vero homines, naturam sequentes, praecepto *festina lente* quidem subscribimus, sed, apertis transeundis, conditis autem

(1) Mem. I. 1. 12. (2) Haec verba, desumta ex Proclo in Alcib. I. 27, leguntur apud cl. Heusd. op. c. Vol. II. P. I. p. 75.

tem et abstrusis rimandis, sequimur deteriora facileque in errorem nos abduci patimur. Veritas scilicet, *res* tanquam *umbra* sequens urgeri nescit. Sin vero, invitâ, ut ajunt, Minervâ, eam studeas expugnare, vel avolat continuo, vel ita deformem se repraesentat, ut ea expugnandâ vix operae pretium fecisse videamur.

Talis igitur ne nobis appareat ἐπαγωγὴ, nostrum de ea judicium cohibendum, quique de ea tulerunt sententias, nisi resecandos certe in alium locum differendos, autumavimus. At vero hoc non ita dictum velim, quasi temere vagantis vitium mihi contraham. Magnum enim intercedit discrimen inter *temere vagari*, *libereqụ disputare*. Hoc ut assequamur, ἐπαγωγῆς naturam primum universe adumbrabimus, tum ejus vim atque usum ex Xenophonte illustrare et explicare conabimur, ac tandem Socraticam ἐπαγωγὴν pro viribus dijudicare operam navabimus.

Hanc vero viam ideo mihi praescripsi, ut ne, Sophistarum more, in ἐπαγωγὴν involantes et praepostera ratione de ea verba facientes, cum oberraremus turpiter, tum alios similiter ac nosmet ipsos in errorem induceremus. Itaque de naturali ἐπαγωγῆς ratione primum disquiramus.

Hanc ut rite aliquando nobis repraesentaremus,

mus, equidem minus rationem habendam censui sententiarum quarumdam peculiarium, uti a viris, licet doctrinâ consummatis, sunt prolatae, quam recurrendum existimavi ad sensum omnium communem, qualis nimirum, tanquam naturalis, non minus indoctis quam doctis proprius esse solet.

Omnes enim, utpote homines, quemadmodum quaerunt, ita loquuntur *veritatem*, *virtutem* et *felicitatem*. Has licet pro ingeniorum, temporum regionumve varietate varia ratione sibi informent, ita nemo tamen tam naturae est expers, quin, omnibus ingenii animique viribus intensis, summisque superatis difficultatibus, eas studeat assequi.

Phantasiae vero, quae sensuum est vicaria, id debuit homo, ut veritatem, inprimis autem virtutem ac felicitatem, tanquam *res* extra se positas, earumque assequendarum rationem, non abstracte, uti dicitur, sed tanquam *vias* consideraret sibique informaret. Hinc innumerabiles dictiones, in dicendo non minus quam scribendo ita usitatae, ut eas omnes recensere longum sit. Id tamen velim attendamus, nos, quando loquimur *vias* sive veritatis, sive virtutis, sive etiam felicitatis, cogitatione nobis repraesentare monten, in quo variae habentur ἐπάνοδοι, cujusque in cacumine lucent philoso-

phis

phis *veritas*, piis sive religiosis *virtus*, cunctis autem *felicitas*. Nos, quo magis hoc pateat, hîc aliquantisper subsistendum arbitrati sumus. Ita enim auguramur, ἐπαγωγὴν, non; tanquam e dialecticae dumeto, spinis obsitam, sed poëtico, eodemque naturali ac proprio colore ex ipsis antiquis esse proditurum.

Itaque primum juvat in memoriam revocare rationis, quâ Hesiodus, Virtutem Malitiae opponens, Persen ad illius studium incitaverit;

σοὶ δ' ἐγὼ, ἐσθλὰ νοέων, ἐρέω, μέγα νήπιε Πέρση.
τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἱλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι
ῥηϊδίως· λείη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι καίει.
τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι,
ῥηϊδίη δὴ ἔπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα. (1)

In palmaria hacce Virtutis cum Malitia comparatione, unumquemque nostrum id certe advertit, Virtutis tradi longam atque arduam viam, primum quidem asperam, at, ubi ad summum veneris, facilem deinceps, quantumvis fuerit difficilis.

Sed

(1) Vid. carmen, *Opera et Dies*, vs. 286 seqq. et Poët. Gnom. Brunck. p. 159 vs. 262 seqq Conff. Plato de Rep. II. p. 364, C. D. et Xen. Mem. II. 1. 20.

Sed operae pretium est propositoque nostro inprimis consentaneum, ex Luciano (1) etiam locum conferre, ubi Hesiodum non tantum expressit, sed ita in usum adhibuit, ut neque Platoni neque Xenophonti videatur postponendus.

Semet igitur ipsum cum Hermotimo ita inducit loquentem, ut ex numero annorum, quos jam philosophiae studio dederat alter, colligat, eum non longe ab ipsa Virtute abesse, quin jam in eo esse, ut hujus felicitatis particeps evadat. Quo audito, Hermotimus: Πόθεν, inquit, ὦ Λυκῖνε, ὃς νῦν ἄρχομαι παρακύπτειν ἐς τὸν ὁδὸν; ἡ δ' Ἀρετὴ πάνυ πόῤῥω κατὰ τὸν Ἡσίοδον οἰκεῖ, καὶ ἔστιν ὁ οἶμος ἐπ' αὐτὴν μακρός τε καὶ ὄρθιος, καὶ τρηχὺς, ἱδρῶτα οὐκ ὀλίγον ἔχων τοῖς ὁδοιπόροις. ΛΤΚ. Οὐχ (2) ἱκανὰ σὺν ἱδρῶταί σοι ὦ Ἑρμότιμε, καὶ ὡδοιπόρηται; ΕΡΜ. Οὐ, φημί. οὐδὲν γὰρ ἐκώλυέ με πανευδαίμονα εἶναι, ἐπὶ τῷ ἄκρῳ γενόμενον. τὸ δὲ νῦν, ἀρχόμεθα ἔτι ὦ Λυκῖνε. ΛΤΚ. Ἀλλὰ τήν γε ἀρχὴν ὁ αὐτὸς οὗτος Ἡσίοδος ἥμισυ τοῦ παντὸς ἔφη εἶναι, ὥστε κατὰ μέσην τὴν ἄνοδον εἶναί σε ἤδη λέγοντες, οὐκ ἂν ἀμάρτοιμεν. ΕΡΜ. Οὐδέπω οὐδὲ τοῦτο· πάμπολυ γὰρ ἂν ἡμῖν ἤνυστο. ΛΤΚ. Ἀλλὰ ποῦ γάρ σε φῶμεν τῆς ὁδοῦ

(1) Op. c. Tom. I. p. 742. (2) Cum in cod. legatur οὐκ, equidem legendum censerem οὐκοῦν ἱκανὰ κ. τ. λ.

ὁδοῦ τυγχάνειν ὄντα; ΕΡΜ. Ἐν τῇ ὑπωρείᾳ κάτω ἔτι, ὦ Λυκῖνε, ἄρτι προβαίνειν βιαζόμενον, ὀλισθηρὰ δὲ, καὶ τραχεῖα, καὶ δεῖ χεῖρα ὀρέγοντος. ΑΤΚ. Οὐκοῦν ὁ διδάσκαλός σοι τοῦτο ἱκανὸς ποιῆσαι, ἄνωθεν ἐκ τοῦ ἄκρου καθάπερ ὁ τοῦ Ὁμήρου Ζεὺς, χρυσῆν τινα σειρὰν καθιεὶς, τοὺς αὐτοῦ λόγους, (1) ὑφ' ὧν σε ἀνασπᾷ δηλαδὴ, καὶ ἀνακουφίζει πρὸς αὐτόν τε καὶ τὴν ἀρετὴν αὐτὸς πρὸ πολλοῦ ἀναβεβηκώς. (2) ΕΡΜ. Αὐτὸ ἔφησθα, ὦ Λυκῖνε, τὸ γιγνόμενον. ὅσῳ γοῦν ἐπ' ἐκείνῳ πάλαι ἀνεσπάσμην ἄνω, καὶ συνῆν αὐτοῖς· τὸ δ' ἐμὸν, ἔτι ἐνδεῖ. ΑΤΚ. Ἀλλὰ θαῤῥεῖν χρῆ, καὶ θυμὸν ἔχειν ἀγαθὸν, ἐς τὸ τέλος τῆς ὁδοῦ ὁρῶντα, καὶ τὴν ἄνω εὐδαιμονίαν, καὶ μάλιστα ἐκείνου συμπροθυμουμένου.

His

(1) Equidem, quamvis invitus, pudore tamen retentus vulgatam secutus sum. Caeteroquin legendum censerem: ἄνωθεν ἐκ τοῦ ἄκρου, καθάπερ χρυσῆν τινα σειρὰν, τοὺς αὐτοῦ λόγους καθιεὶς κ. τ. λ. Pro me quodammodo stat Perrot d'Ablancourt, qui locum ita vertit: "Ton maitre n'est-il pas capable de t'enlever jusques-la par ses discours, comme par la chaine d'or de Jupiter; car il y a long-tems qu'il est au sommet." Mecum si facias, orationis non tantum sustuleris languorem, sed, servata allusione ad σειρὰν istam χρυσέην Homeri, illud etiam evitaveris, Jovem Homericum, desuper ex summo, auream catenam demisisse, quod nusquam invenitur apud Homerum. Conf. Il. VIII. vs. 19. et Heyne in Annot.

(2) Est mirabile dictu, quantopere Lucianus αὐτὸ τὸ γιγνόμενον h. l. de praeceptore significaverit. *Praeceptor* enim a Latinis ita vocatur, quandoquidem, quae docet, ipse *prae*, i. e. *prius* sive *ante*, *cepit*, i. e. *comprehendit*. Nos ratione prorsus Lucianea doctorem interpretamur per *voorganger*.

His lectis, neminem fore arbitror, quin videat, veritatem, virtutem et felicitatem tanquam in cacumine montis ita proponi, ut earum celebrentur ἐπάνοδοι. Sed, cujus gratiâ haec omnia vobis tradidi, et adhuc nos latuit, memoratur etiam tertius, qui necessario requiritur, et in veritatis via nos efficacissime adjuvat. Est autem ille, uti sponte patet, διδάσκαλος, qui, in conscendendo monte, optimam indagat viam, inque eâ nos ita ἀναγάγει, ut, in difficultatibus cum cognoscendis tum superandis, nunquam vel consistamus, vel deflectamus, vel, quod pejus etiam est, gressus retro feramus.

Sic, quam jam diu quaesivimus, ἐπαγωγὴ ei duntaxat competit, qui, tanquam dux, fidus non minus quam amicus, erranti comiter monstrat viam, ὁδοιπόροις subinde χεῖρα ὀρέγει et ἄνωθεν ἐκ τοῦ ἄκρου, καθάπερ χρυσῆν τινα σειρὰν, τοὺς αὐτοῦ λόγους καθίησι, ὑφ' ὧν discipulum, ceu comitem aut ξυνοπαδὸν, ἀνασπᾷ καὶ ἀνακουφίζει, πρὸς αὐτόν τε καὶ τὴν ἀρετὴν αὐτὸς πρὸ πολλοῦ ἀναβεβηκώς.

His animadversis, sponte, ni fallor, assequimur qui factum, ut, qui veritatem sequuntur, dici possint ἀναβαίνειν τὴν ἀνάβασιν et μετ' ἴχνια βαίνειν, nescientes vero, ὥσπερ ἀτραποῦ διαμαρτάνειν, tum, quod supra memora-

ravimus, (1) lucem capit, Socratem nimirum in Politia dixisse, διὰ δὲ τῆς διαλεκτικῆς καὶ μέχρι τοῦ ἀγαθοῦ τὴν ἄνοδον εἶναι τοῖς φιλοθεάμοσι τῆς ἀληθείας.

Neque ipsum Socratem aliter rem, de qua agimus, sibi proposuisse, testis est Plato, (2) qui magistrum ad Glauconem ita verba facientem inducit, τὴν δὲ ἄνω ἀνέβασιν καὶ θέαν τῶν ἄνω, τὴν εἰς τὸν νοητὸν τόπον τῆς ψυχῆς ἄνοδον τιθεὶς, οὐχ ἁμαρτήσεις τῆς γ' ἐμῆς ἐλπίδος, ἐπειδὴ ταύτης ἐπιθυμεῖς ἀκούειν. Philosophiam autem novimus, cum methodum et quasi instrumentum contineat; quo artes doctrinaeque cum distinguantur recte tum suo singulae fini et proposito destinentur, apud Platonem celebrari tanquam ἐπάνοδον. (3) Quid? quod Christus, sibi tribuens, quod Plato tribuit philosophiae, se non tantum τὴν ἀληθείαν et τὴν ζωὴν, verum etiam τὴν ὁδὸν appellavit, quâ unice ad Deum licet accedere, nam οὐδεὶς, inquit Christus, ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ. (4)

Nec dissimili ratione res sensibus patentes, apud Platonem, occurrunt tanquam ἐπαναβαθμοὶ, (5) per quos ad eas, quae unice mente per-

(1) Pag. 19. (2) De Rep. VII. p. 517. B. (3) Vid. Plato de Rep. VII. p. 521 C. conf. cl. Heusd. op. c. Vol. II. P. II. p. 133. (4) Joann. XIV: 6. (5) Vid. Plato Sympos. pag.

percipiuntur, ad ipsum pulcrum, possimus escendere, et, servatâ metaphorâ, discens dici potest ἀναβῆναι τὴν ἀνάβασιν sive ἐπανιέναι sive ἐπιστρέφεσθαι, doctor autem ἐπαγάγειν, id est, ἐπαγωγῇ uti, dummodo veritatis viam Socraticâ atque Platonicâ ratione nobiscum persequatur. Ita, nisi omnia nos fallunt, patet, ex antiquis Platonem maxime, quod volumus, dictis non minus, quam universo orationis habitu nobis declarasse et illustrasse. Sed, quod nondum animadvertimus, idem valet etiam de fabulis, quae hic illic apud Platonem inveniuntur et ita sunt compositae, ut ἐπαγωγὴν nisi legere, certe eam videre videare.

Plato namque Graecorum, imo poëtarum, more, humana ad Deos transferens, v. c. in Phaedro, (1) iter Deorum ita depinxit, ut viam ad ὑπερουράνιον τόπον, ubi, in regno veritatis, lucent ideae, ceu ἐπάνοδον celebraverit, quâ ut animi humani cum ipsorum Deo, tanquam chorego, assurgant, requiritur primum, ut λόγος currum recte dirigat, tum, ut equi frenis obediant aurigae. Namque sic demum, λόγου tanquam ἐπαγωγῇ, facile ἀναβαίνει animus humanus.

Pla-

p. 211. C. qui locus, propter res et verba, omnino legendus. Conf. cl. Heusd. Vol. I. p. 187. et Vol. II. P. III. p. 207.

(1) p. 246 A. seq. conf. cl. Heusd. op. c. Vol. I. p. 87 seq.

Platonis autem quod attinet τὴν e mundo sensibili ad intelligibilem περιαγωγὴν, quemadmodum exstat in Politia, (1) tam multis haec nominibus cum Socraticâ ἐπαγωγῇ convenit, ut, mutato nomine, de ἐπαγωγῇ eadem tradi posse videatur fabula.

Utraque enim modum anquirit, quo animus et facillime et efficacissime ad verum cum convertatur tum educatur; utraque praeterea veram continet ἐπάνοδον, quâ summo respondeat ac satisfaciat philosophiae proposito, et tandem pariter efficit, ut homo ad maximam perveniat disciplinam, bonum cernat, et sic ad superiora escendat, omnino ἀναβῇ τὴν ἀνάβασιν.

Itaque Socraticam ἐπαγωγὴν Plato, ut solet, poëtice speluncae imagine plane expressit; neque eum hac in re adversatum fuisse naturae, luculenter ostendunt voces, *educatio*, *elevation*, *erziehung*, tum nostrum inprimis *opleiding:* quae omnes, licet aliae aliis magis, naturalem cum cogitandi, tum instituendi modum sic referunt, ut ex Platonica fabula ductae videantur. Prae caeteris autem, uti dixi, hoc affirmaverim de vocabulo nostro *opleiding*. Sig-

(1) L. VII. p. 514. A. collato cl. Heusd. op. l. Vol. II. P. III. p. 5 seq. et p. 121 seq.

Significat enim, eum, qui instituitur, non ἐξαίφνης sursum ferendum, sed, εἰ μέλλοι τὰ ἄνω ὄψεσθαι, συνηθείας indigere atque idcirco gradatim sensim paulatimque esse educendum. (1)

Verum quod praeterea habetur in Platonica comparatione, παιδείας τε καὶ ἀπαιδευσίας ergo instituta, veram nimirum institutionem proponi, non tantum tanquam escensionem, verum etiam uti conversionem a caligine ad lucem, dictiones nobis usurpatae ita id exprimunt, ut, quamvis minus huc pertineant, tamen non videantur reticendae. Dicimus enim subinde, aut audimus certe dicentes, *het is mij geheel duister, er begint een lichtstraal voor mij op te gaan, het is mij zoo helder als de dag.* Cum quibus dictionibus conferri merentur loquendi formulae, in graviore dicendi ratione frequentatae, e. g. *de nacht der barbaarschheid en onwetendheid, de dageraad der verlichting, de zon der regtvaardigheid*, sim.

Quocirca, ut aliquando terminetur oratio, neminem certe habebo dissentientem, si ex disputatis jam illud concludam: in hominum men-

(1) Vid. Plato de Rep. VII. p. 516 A. et 518 D. collatis iis, quae habentur p. 520. C. ubi de iis, qui redeunt in antrum, idem occurrit.

mente insidere, veritatem sibi proponere tanquam superne luce collustratam, rationem autem ejus assequendae, tanquam viam, maxime vero tanquam ἐπάνοδον.

Nos ad adumbrandam ἐπαγωγὴν hinc ita profecisse, ut naturam sequeremur ducem, quodammodo id patere existimamus ex Ennio, ubi, utrumque conjungens, ita canit:

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi de suo lumine lumen accendat, facit:
Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit. (1)

§ III.

Via et ratio, qua Socratis procedit ἐπαγωγή.

Operae pretium est rationem disquirere, qua Socrates Aristippum primum docuerit, quid esset temperantia, tum variis adductis rationibus, eum ipsum ad temperantiam, cujus maximi fructus in rempublicam etiam redundant, ἐπαγαγεῖν studuerit.

Aristippus igitur, genio indulgens, indeque a republica administranda abstinens, aliquando in-

ci-

(1) Vid. Cic. de Off. I. 16.

ciderat in Socratem. Hic, vitam non minus vero quam hominibus impendens, data opportunitate, disputationem ita ingreditur, ut, quaerendo comparandoque, temperantiam tanquam imaginem, in hominibus expressam, exhibeat ac commendet. Socratis quippe familiare fuit, ut ne res loqueretur, sive, quaenam essent, seu, quo pertinerent, demonstraret, antequam de earum natura ita constiterat, ut, ab aliis secretae, ceu sensibus viderentur patere.

Hanc docendi rationem non corpore solutis animis, sed tamen hominibus, qui, nisi per sensus, ad veritatem accedunt, apprime convenire, magis nobis patebit, si disputationem, tanquam filum, sequamur.

Socratis cum Aristippo sermones. (1)

Itaque Socrates, data, uti diximus, opportunitate, « dic mihi," inquit, « o Aristippe, si te duos adolescentes, tibi traditos, instituere oporteat, alterum, ut ad imperandum sit idoneus, alterum, ut imperium nunquam appetat, quo pacto utrumque institues? Visne dispiciamus a nutrimento, ὥσπερ ἀπὸ τῶν στοιχείων, initium ducentes." Quo probato, ambo, So-

(1) Vid. Xen. Mem. II, 1.

Socrates et Aristippus, instituendis, quos memoravimus, adolescentibus, comparationem ita absolvunt, ut is, qui reipublicae aliquando curam geret, animo non minus quam corpore plane appareat temperans; alter contra moribus ita dissolutus, ut nullum ipsi intercedat discrimen cum τοῖς ἀφρονεστάτοις τῶν θηρίων, quorum quaedam a gulâ inescata, tametsi nonnulla etiam valde timida, nihilominus vescendi cupiditate ad escam ducta capiuntur: alia vero potus cupiditate ab hominibus circumveniuntur, nonnulla etiam prae lasciviâ, veluti coturnices ac perdices, ad femellae vocem cupiditate speque rei venereae agitata, et ejecta cogitatione de periculis, in casses incidunt.

Hisce disputatis, Socrates, missa comparatione et, una cum comparatione, temperantiâ, tanquam ejus foetu, Aristippum, quem hucusque unum cogitaverat, nec opinantem ita aggreditur: Τί οὖν; inquit, ἐπειδὴ καὶ τούτων ἑκατέρου τοῦ φύλου τὴν τάξιν οἶσθα, ἤδη ποτ' ἐπεσκέψω, εἰς ποτέραν τῶν τάξεων τούτων σαυτὸν δικαίως ἂν τάττοις; Aristippus, ut ne pateret, se, talem tantumque virum, οὐκ ἔχειν ἀλλ' ἔχεσθαι, continuo, Ἔγωγε, respondit, tum, quod, tanquam sibi inconstans, Socrati autem subiratus, ἔμφασι quadam addidisse videtur, καὶ οὐδαμῶς γε, inquit, τάττω ἐμαυτὸν εἰς τὴν τῶν ἄρχειν βουλομέ-

νων

νων τάξιν. Hoc postquam copiose magis quam diserte defenderat et explicuerat Aristippus, tum Socrates, non suam, sed Temperantiae et ipsius Aristippi causam agens, « visne ergo, placide reponit, hoc etiam consideremus, iine suavius vivant, qui imperant, an quibus imperatur?"

Considerante autem Aristippo, hanc quaestionem ita dirimit Socrates, ut imperantibus lauream concedat. Quod Aristippus, postquam probaverat, tum, desultorem agens, verumenimvero, inquit, neque in servitutem rursus equidem me trado, id est, non magis servus quam imperans esse volo, sed inter hos media quaedam via esse videtur, qua incedere conor, neque per imperium, neque per servitutem, sed per libertatem, quae maxime ducit ad felicitatem. Ἀλλ' εἰ μέντοι, reponit Socrates, ὥσπερ οὔτε δι' ἀρχῆς οὔτε διὰ δουλείας ἡ ὁδὸς αὕτη φέρει, οὕτω μηδὲ δι' ἀνθρώπων, ἴσως ἄν τι λέγοις. Quam dubitationem ut iterum subterfugiat Aristippus, se jure civitatis privandum, hospitibus autem sive peregrinis adscribendum autumat.

Δεινὸν hocce πάλαισμα, quod Aristippus crassa, ut ajunt, Minervâ, luctando sane invenerat, Socrates ita refutat, ut ipsum primum comparet cum iis, qui tunc in civitatibus patriis

degebant, et, quamvis legibus caeterisque praesidiis muniti, injurias tamen cavere et propellere non valebant, tum, discrimine notato, quod Aristippo cum τοῖς πολιτευομένοις ἐν ταῖς πατρίσι necessario intercedebat, eum assimilet servo, qualis, inutilitate securus, nulli domino prosit, laborare quidem omnino recuset, et vel sic tamen sumptuosissimo vivendi genere utatur.

Hujusmodi servum Socratem cujuscunque generis suppliciis plectendum censuisse, non est quod mireris. Quid vero dicam Aristippum? Si modo servus ageretur, nil repugnasset. Nunc vero ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ concedens, data opportunitate, servi instar δραπετεύει. Namque acri bile suffusus ac sermonem abrumpens « Verumtamen, inquit, o Socrates, qui ad regnandi artem instituuntur, quam tu mihi videris pro felicitate ducere, quid ab iis differunt, qui prae necessitate laborant incommodis, si quidem esurient, sitient, frigebunt, vigilabunt, et alias omnes aerumnas sponte perferent? Nam equidem haud scio, quid discriminis sit, utrum cutis eadem volenti an nolenti flagris caedatur: vel omnino corpus idem his omnibus vel volenti vel nolenti prematur. Quid tandem aliud est, quam insania, aerumnosa velle perpeti?"

His dictis, cum Socrates se petí animadverte-

teret, quippe qui per totam vitam in animi prae corpore imperio non frustra omnem posuerat felicitatem, Aristippum, qui dictis non minus quam factis contrarium probaverat, ita aggreditur, ut, comparando maxime, suam felicitatem plane nobis describat, Aristippum vero ταῖς ῥᾳδιουργίαις καὶ ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἡδοναῖς, ceu clavis, corpori affixum demonstret.

Hisce animadversis, neminem miraturum existimo, Aristippum obluctando ita fuisse defessum, ut reliquae disputationi statuâ interesset taciturnior. Quae tamen taciturnitas mihi quidem indicio est, Socratem nondum plane desperasse de Aristippo. Ita enim si res sese haberet, Socrates aut Aristippus, nisi abire, sermoni certe finem imponere potuisset. Nunc vero Socrates Aristippum, quamvis de superbiae fastigio dejectum exque socordiae torpore expergefactum, ita erigit et suscitat, ut, missis praeceptis, quae jejunitate non magnopere habent, quo ad se invitent, fabula enarrandâ Prodiceâ, tanquam in imagine, ipsam exhibeat Κακίαν atque Ἀρετὴν, istiusmodi illas, ut ferreus sit, quisquis, comparatione instituta, prae earum effluvio non una cum Hercule Ἀρετὴν, tanquam sibi cognatam, colat atque amplexetur.

Socratis cum Chaerecrate sermones. (1)

Socratem quo magis comparando cognoveris, eo magis illud assequeris: eum revera primum fuisse, qui philosophiam efficeret sive pragmaticam sive popularem. Cujus rei si rationes quaeris, utrum rationi, quâ optimum scopum optime attigit, an ipsi scopo, philosophiae ab ipso assignato, plus tribuas, dubius subinde haeres.

Nihil enim humani a se alienum putans, utilia et sublimia quaeque ita proponebat, ut, veluti in lance posita, sensibus viderentur patere. Hoc autem ut efficeret, non recurrebat subinde ad res sensibus expositas, aut, datâ opportunitate, comparationes instituebat, quo magis scilicet aliquid illustraretur aut explicaretur. Sic enim si res se haberet, Socrates non magis suus, quam ad recentiorum praecepta appareret informatus. Verum haec, quamvis laudabilia, tam longe tamen absunt, ut in Socratem ceciderint, ut ratiocinari aliis concedens, ipse tantummodo personas aut res rogaret, quae nisi sensibus patebant, certe ita notae erant, ut in dubium vocari non possent. Quo facto cum naturâ duce viam recluderet, ita

(1) Vid. Xen. op. l. II, 3.

ita eam aperire sic pergebat, ut, eâdem ratione ὑπομιμνήσκων aut ὑποδεικνύων, similia atque dissimilia notaret, in hisce tamen notandis non subsisteret, neque, ut nonnulli voluere, rerum tantummodo ostenderet affinitates sive cognationes; sed tandem sensim paulatimque eo escenderet, quo, tanquam ad μυστήρια μεγάλα sive ἐποπτικὰ, non nisi recte initiato licet accedere. Hujusmodi initiationis si specimen aut exemplum quaerimus, operae pretium est rationem animadvertere, quâ Socrates Chaerecrati primum quanti interesset, fratrem habere unicum, oculis veluti subjecerit, tum, variis allatis causis ac rationibus, eum cum fratre in gratiam redegerit.

Chaerecratem igitur eum animadvertens, qui fratrem post nummos haberet, indeque, quamvis junior, ad obsequium praestandum non valde esset idoneus aut vacuus, « Dic mihi, inquit, nonne et tu ex ejusmodi es hominibus, qui utilius quid esse divitias putant, quam fratrem? quamquam illae insipientes sint, hic sapiens: illae ope indigeant, hic opitulari possit: illae denique plures sint numero, frater autem unus?» Tum quo magis comparando Chaerecratem urgeret, « Mirum hoc quoque, addit, posse quem fratres suos sibi detrimento esse putare, propterea, quod non etiam fratrum fa-

facultates possideat: ac cives sibi detrimento non esse arbitrari, quod civium bona non habeat: sed posse hac in parte ratiocinari, quod praestet, ut aliquis, cum multis habitans secure, quae sufficiant, habeat: quam si solus vivat, ac civium facultates cum periculo omnes possideat: in fratribus id ipsum ignorare. Quin imo, qui possunt, servos emunt, ut laborum socios habeant, et amicos parant, quod opitulatoribus egent; fratres vero negligunt, quasi scilicet ex civibus amici fieri possint, ex fratribus autem non possint. Atqui multum ad amicitiam conducit, ex iisdem natum esse, multum etiam, una nutriri. Nam et feris quoddam eorum, quae una nutrita sunt, desiderium innascitur. Praeterea caeteri quoque homines honorant magis illos, qui fratres habent, quam qui nullos, ac hos celerius aggrediuntur." (1)

Hisce disputatis, cum Socrates comparando ac distinguendo quasi normam constituisset, ad quam reliquam disputationem exigeret, tum Chaerecrates, uti fit, propriam culpam in fratrem Chaerephontem transferens, dictisque magis confitens quam assentiens, Socrati eâtenus qui-

(1) Vid. Xen. l. l. § 4. Nos vertimus, quasi pro ἴστω legeretur θαῤῥῶ.

quidem concessit, ut habere fratrem, qualem oporteat, aliquid esse consentiret, verum semet ipsum imparem et invitum adeo haberet, qui in fratris Chaerephontis gratiam rediret.

Quibus erroribus Socrates ut justa ratione liberaret Chaerecratem, non ex interiore Ethica praecepta aut argumenta petivit, sed suâ ratione ὑπομιμνήσκων, comparans, distinguens, quaeque sic sensim paulatimque invenerat, tenens, « Mira certe, inquit, narras, o Chaerecrates, quod, si canem haberes, ovibus custodiendis aptum, atque hic pastoribus quidem blandiretur, in te vero adeuntem saeviret, missa iracundia, bene faciendo enitereris ut eum mitigares; fratrem vero magnum quoddam bonum ais esse, si erga te talis sit, ut decet, quumque et verbis et factis benignum esse ex confesso scias, nonne operam dabis ut quam optimum eum tibi reddas?"

Sermonis filum nos jam eo adduxit, ut Chaerecratem, missa iracundia, ceu de fugâ videamus revocatum, nilque habentem exoptatius, quam ut Socratem, sua sibi φίλτρα monstrantem et exhibentem, audiret ac prosequeretur. Quod Socrates cum lubenter reciperet et suâ ratione ingrederetur, ita « Dic mihi, inquit, si quem familiarium eo deducere velles, ut, ubi rem sacram facit, ad coenam te vocaret, quid faceres?".

Ita-

Itaque procedens non sapientium more, quales innumeri exstiterunt, illud, quamvis celebratum: *Si vis amari, ama*, ἀποδεικτικῶς, tanquam ex tripode, pronuntiabat aut demonstrabat, sed simplici ratione interrogando ὑπομιμνήσκων exempla afferebat, quae unicuique paterent eoque inservirent, ut sensim paulatimque veritas non poneretur, sed cerneretur, non probaretur, sed sequeretur, neque, uti ajunt, investiretur, sed revera, tanquam hominibus propria, eliceretur atque inveniretur. Quo facto, Socrates ita in rem praesentem solebat venire, ut disputationi convenienter, in qua versabatur, plane se accommodaret ei, quem doceret. Itaque, postquam Chaerecratem variis exemplis docuerat, in hominibus ἔρωτα ἀντέρωτα τίκτειν, « Ergo, inquit, tu quum omnes illecebras, quae inter homines sunt, jamdudum noris, eas celabas. Num forte metu laboras, (1) ne turpis videaris, si prior beneficio fratrem afficias? Atqui maxima vir laude dignus esse videtur, quicunque hostes laedendo, benefaciendo amicos antevertat. Quare si mihi videretur Chaerephon ad hocce prius efficiendum

(1) Vid. Xen. l. l. § 14, in Graecis habetur: ἢ οἰκτεῖς, ἔφη, ἄρξαι, μὴ αἰσχρὸς φαινῇς, εἰ πρότερος τὸν ἀδελφὸν εὖ ποιῇς; Equidem ita verti, quasi ἄρξαι non adesset; et sane, si abesset, non desiderarem.

dum aptior esse, operam in illi persuadendo collocarem, ut prior amicitiam tuam conciliare sibi studeret: nunc tu mihi videris, si rem ordiare, rectius hocce confecturus."

Hocce postquam Socrates Chaerecrati primum magis suaserat quam persuaserat, tum, similibus atque dissimilibus notandis, comparando omnino, Chaerecratis non minus quam Chaerephontis causam ita peroravit, ut Chaerecrates fine disputationis ad gratiam reconciliandam non traheretur, sed duceretur, nec, veluti per gradus ad καλοκαγαθίαν eductus, magistro egeret, cujus nutu, missis discordiis, cum fratre in gratiam rediret. Quod quo magis assequamur, juvat ipsum audire Socratem, quando fratres, quasi ambo adessent, ita alloquitur: « Nunc quidem, inquit, ita affecti estis, ac si manus ambae, quas Deus idcirco creavit, ut mutuo se juvent, hoc omisso, ad impediendum sese invicem converterent: vel si pedes ambo, qui divino consilio mutuas ad operas conditi sunt, hoc ipso neglecto, sibi invicem impedimento essent. Annon magna fuerit inscitia, magnaque infelicitas, iis ad dementum uti, quae ad utilitatem facta sunt? At enim fratres duos, meâ quidem sententiâ, condidit Deus majorem ad utilitatem mutuam, quam manus utrasque, quam pedes, quam

ocu-

oculos, quam caetera, quaecunque natura voluit in hominibus esse ἀδελφὰ. Quippe manus, si eas necesse sit illa simul agere, quae longiori spatio, quam unius orgyae, distent, nequaquam id poterint; pedes ne ad ea quidem, quae orgyae distent inter se spatio, simul accesserint; oculi, qui pertingere quam longissime putantur, ne propiora quidem a fronte simul et a tergo videre possint. Fratres autem, si amici sint, etiam magno dissiti intervallo, ea possunt agere, quae ad utriusque utilitatem conducant."

Socratis cum Critobulo sermones. (1)

Socrati familiare fuit, ut homines, avertendo maxime, ad καλοκαγαθίαν ἐπαγαγεῖν studeret. Nec mirum. Uti enim ad rem quamcunque cognoscendam nil magis valet, quam si illi aliam, eamque contrariam, apponas et hanc illustres, ita Ἀρετὴ sive Καλοκαγαθία tum demum suo habebitur pretio et revera ad se invitabit, quando, quemadmodum Herculi, in fabula Prodicea, Κακίαν comitem habet et veluti ἀντίστροφον.

Itaque Socrates, ut hominibus verae gloriae viam

(1) Vid. Xen. op. l. II, 6.

viam aperiret, varia jactantiae detrimenta in variis hominum generibus monstravit, quo scilicet ipsi de vera viâ ἐπ' εὐδοξίαν possent judicare; (1) tum in nostra disputatione Critobulum sic instituit, ut primum quaerat, quis non sit amicus, tum quis sit.

Amico vero declarato et veluti constituto, ambo, Socrates et Critobulus, quaesitum amicum inventis ἐπῳδαῖς et φίλτροις ita venantur, ut abesse jubeant omnem non minus vim, quam fraudem aut fucum. Hoc autem nemo certe mirabitur, si quidem teneat, Socratem non tantum, quemadmodum sunt qui existiment, hominum prospexisse utilitati, verum etiam honestatem atque veritatem eâtenus coluisse, ut, quidquid diceret, quidquid ageret, ad has, veluti normam, examinaret atque dijudicaret.

Ita de amicitia aliquando verba faciens, missis artibus et machinationibus, quae hominem dedecent, hanc ita commendat, ut minus amicitiae, quam ipsius Virtutis et Veritatis tibi causam egisse videatur. Critobulo enim postquam constiterat, amicus ὅπως οὐκ esset θηρατέος, tum Socrates, Virtutis vim atque efficaciam submonstraturus, « Ἃ μὲν, inquit, αἱ Σειρῆνες ἐπῇδον τῷ Ὀδυσσεῖ, ἤκουσας Ὁμήρου, ἔν ἐστιν ἀρχὴ τοιάδε τις·

Δεῦρ'

(1) Vid. Xen. op. l. I, 7.

Δεῦρ' ἄγε δὴ πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν.

Crit. Ταύτην οὖν, ἔφη, τὴν ἐπῳδὴν, ὦ Σώκρατες, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις αἱ Σειρῆνες ἐπᾴδουσαι κατεῖχον, ὥστε μὴ ἀπιέναι ἀπ' αὐτῶν τοὺς ἐπᾳσθέντας; Soc. Οὔκ' ἀλλὰ τοῖς ἐπ' ἀρετῇ φιλοτιμουμένοις οὕτως ἐπῇδον. Crit. Σχεδόν τι λέγεις τοιαῦτα χρῆναι ἑκάστῳ ἐπᾴδειν, οἷα μὴ νομιεῖ ἀκούων τὸν ἐπαινοῦντα καταγελῶντα λέγειν. Soc. (1) Οὕτω μὲν γὰρ ἐχθίων τ' ἂν εἴη, καὶ ἀπελαύνοι τοὺς ἀνθρώπους ἀφ' ἑαυτοῦ, εἰ τὸν εἰδότα, ὅτι μικρός τε καὶ αἰσχρὸς καὶ ἀσθενής ἐστιν, ἐπαινοίη λέγων, ὅτι καλός τε καὶ μέγας καὶ ἰσχυρός ἐστιν. Ἄλλας δέ τινας οἶσθα ἐπῳδάς; Crit. Οὔκ· ἀλλ' ἤκουσα μὲν, ὅτι Περικλῆς πολλὰς ἐπίσταιτο, ἃς ἐπᾴδων τῇ πόλει ἐποίει αὐτὴν φιλεῖν αὐτόν. Soc. Θεμιστοκλῆς δὲ πῶς ἐποίησε τὴν πόλιν φιλεῖν αὐτόν; Crit. Μὰ Δί' οὐκ ἐπᾴδων, ἀλλὰ περιάψας τι ἀγαθὸν αὐτῇ. Δοκεῖς δέ μοι λέγειν, ὦ Σώκρατες, ὡς, εἰ μέλλομεν ἀγαθόν τινα κτήσεσθαι φίλον, αὐτοὺς ἡμᾶς ἀγαθοὺς δεῖ γενέσθαι. (2) Socr. Σὺ δὲ ᾤου, ἔφη

(1) Per ἴλλειψιν, Platoni non minus quam Xenophonti frequentatam, cogitatione supplendum: σὺ νομίζεις vel τοῦτο λέγει.

(2) Sunt verba Critobuli, qui, Socratis ope, ipse per se meliora edoctus, quemadmodum Socrati τὴν μαιευτικὴν, ita sibi ejus effectum gratulatur. Equidem, quamvis abstineam, haec ad animi sensum explicare, tamen non possum, quin lectionem, quam proposui, ita commendem, ut, mecum si legas, locus mirum quantum valeat, ad Socraticam cum ἐπαγωγὴν tum μαιευτικὴν pernoscendam. Rogando enim cum Socrates ὑποδιωνύμος (on-

ἔφη ὁ Σωκράτης, οἷόν τ' εἶναι πονηρὸν ὄντα χρηστοὺς φίλους κτήσασθαι; Itaque procedens cum Virtutem sive καλοκαγαθίαν amicitiae tanquam postulatum praescriberet, ita « Ἀλλὰ θαῤῥῶν, inquit, o Critobule, bonus esse enitere, atque, ubi talis factus fueris, honestos et egregios amicos venari coneris. Ac fortasse etiam ipse nonnihil tibi conferre ad hanc virorum honestorum egregiorumque venationem possim, διὰ τὸ ἐρωτικὸς εἶναι. Nam quoscunque homines amem, totus ardenter in hoc feror, ut eos diligens, vicissim diligar; et desiderans, vicissim desiderer; et conversationis cupidus, vicissim expetar."

Sic pergens, cum ipse Socrates plane appareret καλοκάγαθος, ita ad eandem καλοκαγαθίαν alios ea ratione studebat ἐπαγαγεῖν, ut aeque ve-

(*onderwijzende*) sensim paulatimque ἐπαγωγεῖ, ita Critobulus, interrogatus a Socrate, Θαυμαστωλῆς δὲ πῶς ἐπαίνεις τὸν πόλιν φιλεῖν αὐτόν; vix responderat: Μὰ Δί' οὐκ ἐπαίνων, ἀλλὰ περιάψας τι ἀγαθὸν αὐτῷ. quin ecce, ceu ingenii afflatu, ipse videbat: ὡς, εἰ μέλλοιμι ἀγαθόν τινα κτήσασθαι φίλον, αὐτοὺς ἡμᾶς ἀγαθοὺς δεῖ γενέσθαι. Quod Socrates ubi animadvertit, ita benevole subridens, Σὺ δὲ, inquit, (attendatur elegans usus τοῦ simplicis δὲ) ἄνευ οἷόν τ' εἶναι πονηρὸν ὄντα χρηστοὺς φίλους κτήσασθαι; Vid. Xen. op. l. II, 6. inde a § 11-15 deque usu exquisito τοῦ περιάψας Ernesti in notâ. Me vero post δικαῖς interseruisse δὲ, invitis etiam codicibus, neminem certe offendet, praesertim si teneat, sequens Σὺ δὲ, per repetitionem, hinc maxime vim accipere.

veritatis ac virtutis rationem haberet. Commemoratis enim iis, quae ostenderent, Critobulum in Socrate πάνυ ἐπιτήδειον habere σύνδημον τῶν ἀγαθῶν φίλων; tum Critobulus, morae impatiens, neque dictorum vim assequens « Τί οὖν, inquit, mihi hoc enarras, quasi non penes te sit, ut de me, quod velis, dicas?" Quam dubitationem Socrates scilicet mirans, « Non profecto, ait, uti quidem ego de Aspasia aliquando audivi. Ajebat enim, bonas pronubas, quae cum veritate bona commemorarent, plurimum ad conciliandam inter homines affinitatem valere; quae vero mentirentur, eas laudando nihil prodesse. Qui enim decepti sunt, se oderunt mutuo, atque etiam conciliatricem ipsam. Quae quum ita esse persuasus sim, recte arbitror, nihil mihi dicere licere in laudem tuam, quod non vere dicam."

Socrates, quo magis Critobulus hocce assequeretur, suo more exempla quaerens, « Si enim, pergit, tibi cum naviculario volens amicitiam conciliare, falso te laudem, bonumque gubernatorem esse dicam; atque ille, persuasus a me, navem imperito tibi gubernandam committat: aliudne quidquam sperare possis, quam te tum navem, tum te ipsum exitio daturum? Vel si, tuâ caussa, civitati publice persuasero mentiens, ut se tibi, tanquam viro artis impe-

ra-

ratoriae, judiciorum, rerumque civilium perito, committat: quid putas et tibi, et per te, civitati eventurum? Vel, si privatim civibus nonnullis persuadeam, idque mentiendo, ut tibi res suas credant, tanquam administrandae rei familiaris perito, atque industrio: annon, periculo facto, damnosus simulque ridiculus esse apparebis? At vero via maxime compendiaria, tutissima, et pulcherrima est, mi Critobule, ut, in quo bonus esse videri velis, operam des, ut bonus sis. Quaecumque autem apud homines virtutes appellantur, eas omnes si consideres, disciplina et exercitatione posse augeri animadvertes. Itaque equidem existimem, mi Critobule, nos ita oportere venari: tu vero, si aliter judicas, doce." Et Critobulus « Me vero pudeat, inquit, o Socrates, his contradicere: nec enim honesta, nec vera dicerem."

Hisce enarratis, duo maxime in oculos incurrunt:

1.) Socratem nimirum Critobulum sensim paulatimque ita eduxisse, ut contradicere neque posset, neque prae pudore auderet.

2.) Socratem, quamvis, aliud agendo, amicos loqueretur, eorumque traderet sive ἐπῳδὰς sive φίλτρα, in hisce tamen disquirendis non substitisse, verum propriam Critobuli causam ita

ita egisse, ut ipsam respiceret commendaretque καλοκαγαθίαν, cujus veluti κρηπίδες habentur virtus ac veritas.

Socratis cum Diodoro sermones. (1)

Si quaerimus, qui factum, ut Socratica ἐπαγωγὴ tantam cum vim habuerit in aequales, tum celebritatem sit nacta apud posteros, equidem neutiquam negligendum existimo illud, eam nimirum conjunctam fuisse cum mira quâdam benevolentiae significatione.

Hinc enim repetendum, eum omnem fere vitam non nisi hominibus impendisse; neque, tanquam ἐρωτικὸν et φιλάνθρωπον, illud tantum studuisse, ut homines efficeret καλοκἀγαθους, verum, quo id perageret facilius, rationes insuper quaesivisse, quas quis sequens atque tenens Socraticae ἐπαγωγῆς vim atque usum, quâ late patent, perspiciet.

Habetur namque arctissima conjunctio inter rem, quam commendamus, et rationem, quâ eam in usum adhibere studemus. Haec nisi accedat, nil interest, utrum Socraticâ ratione ἐπαγαγῆς, an tenuis grandia loquaris. Et vero Socratem fuisse parentem philosophiae, auctori-

(1) Vid. Xen op. l. II. 10.

ribus nonnullis, non tam tribuendum materiei, in qua elaboravit, quam viae et methodo, quae necessario requirunt, hominum agi non minus utilitatem, quam honestatem. Quis enim tam excors, ut aliquem velit ἐπαγαγεῖν, id est ad veritatem educere, idemque non nisi ea tradat, quae jejunitate, inanitate atque importunâ subtilitate avertant magis quam advertant, minusque educant quam inducant. Rectius alii, qui, in omnibus vitae negotiis, non tantum exquirant quid, verum etiam, qua ratione aliquid vel dicatur vel agatur.

Sic namque evenit ut res ipsas, non rerum umbras assequamur, neque, uti alii, missa cortice, unice nucem celebremus aut in ore habeamus; sed, naturae viâ, per corticem sensim paulatimque ad nucem revera accedamus.

Horum itaque sententiae cum nos lubenter adscribamus, ita in sermone, quem cum Diodoro aliquando habuit Socrates, ad duo maxime animum nostrum advertemus:

1.) Socratem ea fuisse benevolentiâ, ut non tantum ipse bene faceret omnibus, verum aliis etiam amicitiam, et, una cum amicitiâ, istud κοινὰ τῶν φίλων cum commendaret tum oculis quasi subjiceret.

2.) Socratem, simplicissimâ naturae viâ, disputandi initium duxisse a rebus simplicibus,

quae sensibus patent, tum processisse ad compositas, ac tandem, comparando maxime, res intelligibiles ita illustrasse, ut, sermone habito, Diodorus non confiteretur tantum, sed conret, semelque convictus a consensione ad actionem procederet.

Hoc autem ut efficeret, « Dic mihi, inquit, o Diodore, si quis servorum tibi aufugit, curas ut eum e fuga retrahas? Quin etiam alios, per Jovem, respondit, arcesso, servi conservati praemium praeconis voce promittens. — Quid vero? pergit, si quis servorum adversa valetudine laboret, annon curam ejus habes, ac medicos arcessis, ne moriatur?" Quo concesso, in rem praesentem veniens, « Si vero quis, inquit, familiarium tuorum, servis multo utilior, in periculo sit pereundi ex inopiâ, non aequum esse ducis, ejus te curam habere, ut evadat incolumis?"

Haec quorsum spectarent quum probe teneret Diodorus, tum, eo prae pudore tacente, (1) « Atqui, subjungit Socrates, non ignoras, Hermogenem minime ingratum esse, verum puderet illum, adjutum abs te, non vicissim te

(1) Vid. Xen. l. l. § 3. Non audiendi sunt interpretes, qui, ante verba: Καὶ μὴν, aliquid excidisse autumaverunt. Mentio enim *Hermogenis*, quamvis recens, minus tamen Diodoro, quam interpretibus subita inopinataque venit.

te adjuvare. Et sane habere ministrum, aeque promtum ac benevolum et constantem, neque solum idoneum ad imperata exsequenda, sed qui ultro etiam usui possit esse, providendo non minus, quam deliberatione praeveniendo, equidem multorum servorum instar esse duco. Jubent autem rei familiaris administratores boni tunc emere, quum magni quippiam pretii licet exiguo comparare. Boni vero amici, hoc reipublicae statu, vilissimo pretio parari possunt.

Recte mones, mi Socrates, inquit Diodorus, jube veniat ad me Hermogenes. — Minime equidem, ait. Etenim neque tibi honestius esse duco, te potius illum arcessere, quam convenire: neque magis ex illius esse re, quam tuâ, haec ita fieri.

Hoc modo factum, ut ad Hermogenem Diodorus accederet, neque magnâ pecuniâ erogatâ, compararet amicum talem, cui id esset negotii, ut, quid vel proferendo vel agendo, Diodoro prodesse, laetitiamque posset afferre, dispiceret.

Socratis cum Nicomachide sermones. (1)

Socrates, adhibendis μαιευτικῇ et ἐλέγχῳ, et

(1) Vid. Xen. op. l III, 4.

comparationem valere jubeat, unice vero a
huc quaestionem urgeat, num, si pugnandı
sit, rei familiaris administrandae peritiae fru
tus etiam redundent?

Hoc autem Socrates eâdem comparatio
viâ ita confecit, ut Nicomachides non poss
quin moderatius cives ferret, qui res famil
res bene curant et administrant, ideoque n
habent, cur bilem moveant, etiamsi, quem
modum Antisthenes in comitiis magistratil
creandis, prae aliis, prae veteranis etiam,
ipse erat, ab Atheniensibus ex candidatis
trahantur. « Nam, inquit Socrates, bonus p
terfamilias, cum sciat, nihil adeo utile
fructuosum esse, ac pugnando hostes vince
neque quidquam esse tam inutile et damn
sum, ac superari, prompte, quae ad vinc
dum conducunt, quaeret et parabit; ac di
genter considerabit et cavebit, quae ad l
faciunt, ut vincatur: quumque videbit, appa
tum ad victoriam idoneum esse, viriliter
micabit; ac, si imparatus fuerit, proelium
conserat, haud minus cavebit. — Ne tu,
Nicomachides, pergit, homines, rei famil
ris administrandae peritos, contempseris. I
rum enim privatarum cura multitudine t
tum differt a cura publicarum, caetera aut
habent consimilia. Τὸ δὲ μέγιστον, ὅτι ο

ὁ

ἄνευ ἀνθρώπων οὐδετέρα γίγνεται, οὔτε δι' ἄλλων μὲν ἀνθρώπων τὰ ἴδια πράττεται, δι' ἄλλων δὲ τὰ κοινά· οὔτ' ἄρ' (1) ἄλλοις τισὶν ἀνθρώποις οἱ τῶν κοινῶν ἐπιμελόμενοι χρῶνται, ἢ οἵσπερ οἱ τὰ ἴδια οἰκονομοῦντες· ὥστε οἱ ἐπιστάμενοι χρῆσθαι καὶ τὰ ἴδια καὶ τὰ κοινὰ καλῶς πράττουσιν· οἱ δὲ μὴ ἐπιστάμενοι ἀμφοτέρωθι πλημμελοῦσιν. id est: *Maximum vero est, quod neutra absque hominibus fit, neque per alios homines privatae tractantur, per alios vero publicae; neque sane qui publica procurant aliis utuntur hominibus, quam qui privata administrant; unde patet, eos, qui,* uti Antisthenes, hominibus *uti norunt, res non minus privatas quam publicas pulchre tractare, qui vero,* quemadmodum Nicomachides, hocce *ignorant, utrinque peccare.*"

Socratis cum Periclo sermones. (2)

Socrates, minus *res* quam *homines* curans, facile eo adduci potuit, ut διαλογιζόμενος, nihil-

(1) Vid. Xen. l. l. § 12. ed. Schneid. Miror, interpretes illud fugisse, pro οὐ γὰρ simpliciter legendum esse οὔτ' ἄρ'. Num vero pro ὡς οἱ, quod paulo post sequitur, necessario legendum sit ὥστε οἱ, equidem minus affirmaverim, quam jubentibus aliis assenserim. (2) Vid. Xen. op. l. III, 5.

hilque scripto mandans, omne fere tempus in mediis transigeret hominibus. Quod cum ageret, ita sermones, ab ipso habiti, λόγου ἐμψύχου exstiterunt veluti εἴδωλον, atque Socratica institutio revera habenda videtur διδασκαλία.

Est namque, quod in Socrate cum admiratione quadam animadvertas: eum nimirum nil fere aut attigisse aut attulisse, nisi cujus in vitam communem vis quaedam redundaret et utilitas. Neque methodum, quae a Socrate nomen habet, aliorsum spectâsse, quam ut iisdem hominibus, quibus ortum debuit, etiam inserviret, ratio demonstrat, qua nullo non tempore, interrogando maxime, hominum ingeniis se accommodabat, ἐπαιζεν ἅμα σπουδάζων et contra, cunctos autem ita studebat ἐπαγαγεῖν, ut res, alias aliunde petitae, nunquam ipsarum sed hominum causâ viderentur allatae.

Quamobrem, cum Socrates auctor existeret novae alicujus non *doctrinae*, sed *disciplinae*, ita, ut hanc rite aliquando dijudicemus, illud item teneamus necesse est, Socraticam nimirum disciplinam non tantum consuluisse *hominibus*, verum, quod inprimis decet philosophum, ab his processisse, ad *hominem*, indeque inquisivisse in ea quae non solum *prodessent hominibus*, sed *hominem* etiam *decerent*.

Eto-

Etenim, quae in Socraticâ disciplina celebratur καλοκαγαθία, haec uti ipsum exquirit *hominem*, ita tam late patet, ut, quemadmodum, in Platonicâ philosophiâ, ἡ ὁμοίωσις τῷ θεῷ, reginae instar, in ea vigeat ac spiret. — Haec si tenemus, assequimur, ni fallor: Socratem, cum huic alterive homini docendo se accommodaret, tamen ita se accommodâsse, ut caeteri quoque, quicunque disputationi interessent, aeque haberent, quo ad virtutem sive veritatem ducerentur nescii, inviti vero traherentur.

Sic, ut rem exemplo demonstrem, aliquando incidit in Periclem. Hic, ut magni patris vestigiis ingrederetur, rationes quaesivit, quas sequens Athenienses ad pristinam fortitudinem et felicitatem revocaret. Socrates, quum huic consilio, more suo, lubenter succurreret, statum Athenarum, qualis tunc et antiquioribus temporibus fuerat, una cum Pericle, plane nobis posuit ob oculos, ita quidem, ut, historia Athenarum comparando tradita, Socrates non subsisteret, verum disputationis summam conficeret: Pericli, quod ad Athenienses, animum despondendum non esse, ipsum contra, missis querelis, summa ope eniti debere, ut Athenienses de praecepto ad pristinam fortitudinem felicitatemque revocaret.

Haec

Hac disquisitione finitâ, cum, data opportunitate, in mentionem incideretur Imperatorum, qui munere hoc fungebantur, quamvi nulla rei militaris scientia essent imbuti, tun Socrates, « Non quidem te, per εἰρωνείαν inquit, talem esse arbitror: sed opinor, te no minus posse dicere, quo tempore imperandi quam quo luctandi artem discere occoeperis et multa quidem te bellica consilia, de patr accepta, conservare puto, multaque undecunqu congessisse, unde disci abs te poterat aliquid quod ad imperatoriam artem conferret. Prae terea te arbitror valde sollicitum esse, ne t ipsum lateas, ignorans aliquid eorum, quae a munus imperatoris pertinent; ac si quid eju modi nescire te animadvertis, harum reru peritos quaerere, neque muneribus neque gra tiis parcentem, ut ab eis discas, quae nesci et egregios coadjutores habeas." Tum Per cles, « non me clam est, mi Socrates, ai haec te dicere, ne existimantem quidem, me l studere, sed conantem me docere, quod, quis velit exercitum ducere, horum omniu habenda ei sit cura. Verum vel sic tam lubenter haec tibi assentior. Ergo, subjo Socrates, si haec tibi placent, o bone, aggr dere tandem ea. Nam, quidquid horum per ceris, id et tibi praeclarum, et utile reipub

cae erit. Sin vero aliquid efficere nequeas, non tamen vel reipublicae quid detrimenti afferes, vel opprobrii tibi."

Hisce enarratis, animadvertendum censemus;

1.) Socratem non, historicorum aut oratorum more, historiam Graecorum ita tractâsse, ut scilicet argumentum haberet, in quo elaborando doctrinam ostenderet aut sagacitatem. Contra; cum non *res* curaret, sed *homines*, ita ipsi homines, in quorum medio vivebat, disputandi ei praebebant materiem. Verum, quando dicimus, Socratem doctrinae famam reliquisse aliis, ipsumque nil nisi homines respexisse, cavendum sane, ne existimemus: Socratem, quum hominum curam gereret, eorum utilitatibus ita inserviisse, ut negligeret fere reliqua. Sic enim si res se haberet, Socrates procul dubio, innumerorum instar jurisconsultorum, oblivioni esset traditus. Nunc vero, quod nobis non negligendum,

2.) Cum in mediis hominibus *hominem* exquireret, ita, quamvis nihil humani a se alienum haberet, ipsa tamen humana, sive commoda sive utilitates, non nisi ἐπαναβαθμοὶ fuerunt, per quos ad αὐτὰ τὰ ὄντα perveniret. Sic factum, ut omnes homines, cujuscumque ge-

generis essent aut aetatis, lubenter et maxim
cum fructu ipsi interessent, utque Pericle
quamvis admonitus, quamvis reprehensus sul
inde, Socrati ore non minus quam animo co
fiteretur. Nec mirum. Quidni enîm hoc fac
ret? cum Socratis dicta ita se haberent,
civitati non minus prodessent, quam ipsu
decerent, civitati quidem ἀγαθὰ essent, ip
vero Pericli καλὰ et honesta.

Socratis cum Glaucone et Charmide sermones. (1)

Socrates, non minus semet ipsum, quam alio
habens perspectos, disputando maxime, φίλτ
quaedam monstravit atque ἐπῳδὰς. Haec cu
talia essent, ut neminem, paulo quidem sole
tiorem, non possent advertere, ita aequales n
minus quam posteri eorum, nisi causam, ce
effectum fuerunt mirati. Sic, ut rem exemp
demonstrem, Critiam atque Alcibiadem non l
tuit: Socratem τοῖς διαλεγομένοις αὐτῷ πᾶσι
τοῖς λόγοις χρῆσθαι ὅπως βούλοιτο. (2) Cujus re
admirabilis sane, si rationem etiam quaerimu
illud teneamus oportet, Apollinis praeceptun
γνῶθι σεαυτόν, a Socrate ita fuisse in usum a
h

(1) Vid. Xen. op. l. III. 6 et 7. (2) Vid. Xen. op. l. I. 2.

hibitum, ut omne decus ac praesidium in eo poneret, neque tantum ipse inde proficeret, verum alii etiam haberent, de quo Socrati gratularentur.

Cum enim homini proprium sit, ut, cujuscunque rei ipse sit adamans, alios etiam participet, ita Socrates quâcunque opportunitate alios sic studebat ἐπαγαγεῖν, ut similiter, atque ipse, cognitioni sui operam navarent, spretisque malis cupiditatibus, unice appeterent, quae bona essent ac honesta. Quumque praeterea multiplex hominis sit ingenium, neque eadem possimus omnes aut adpetamus, ita abstinebat fere a praeceptis, quae suadent subinde, quae sunt dissuadenda, et, quamvis hoc non agant, nobis tamen non magnopere persuadent; verum, aeque animi, atque Delphici oraculi praecepto obediens, aliter utebatur aliis, aliis frenum injiciebat, aliis vero adhibebat calcar; exemplo probans, celebratum illud: γνῶθι σεαυτόν, ad arrogantiam minuendam non solum esse dictum, verum etiam, ut bona nostra norimus.

Itaque cum Socrates, non universe, sed suâ ratione, id est *singulatim*, universis consuleret hominibus, ita operae pretium videtur rationem disquirere, quâ Socrates Glauconem, imperitum adolescentem, a capessenda republica aver-

averterit, Charmidem vero, verecundantem, capessendam rempublicam fuerit cohortatus.

Enarrantes, ni fallor, nos non latebit, S cratem, tam docendo, quam docendi metho optimum propositum optime ac facillime fui assecutum.

Quandoquidem autem philosophus fere c setur τῷ ἐπέχειν et ἀπέχειν, ac nihil majus e quam ut aliquem cohibeas, ita sermo, que coercendi causâ, habuit cum Glaucone, no paulo accuratius videtur tractandus, eoque m gis, quia haec ipsa disputatio nobis indi est, Socraticam ironiam non tantum, quema modum nonnullis placuit, agitandi causâ, sp tasse Sophistas, verum, plus semel etiam, e ejus ἐπαγωγῇ conspirare amice. De hoc ve ut integrum relinquatur judicium, age, ju ratione, id est enarrando, disputationis fil sequamur ducem.

Glauconi igitur obviam factus, qui, saec more, nil magis studebat, quam ut, quac que tandem ratione, rerum potiretur sumn tum Socrates, non sui, sed Glauconis causâ, l nevolentiam conciliaturus, « Pulcrum hoc, quit, si et quid aliud in rebus humanis. P spicuum est enim, quod, si hoc impetraver poteris ipse consequi, quaecunque concupi ris, amicos juvare, domum paternam ext

lere, patriam amplificare, atque celebris efficieris primum in hac urbe, deinde in Graeciâ, ac fortassis etiam, uti Themistocles, apud barbaros: ubicunque autem fueris, nusquam non eris illustris."

Talia praefando, postquam effecerat, ut Glauco efferretur animo lubenterque maneret, tum Socrates, orationem continuans, ipsumque petens Glauconem, « Planum est igitur, ait, mi Glauco, necessarium esse, ut, si quidem esse in honore velis, aliquam reipublicae utilitatem afferas." Quibus disquisitis atque veluti in oculis positis, tum Socrates, quo magis lepidâ suâ dissimulantiâ juvenem ungeret ac pungeret, « Dic ergo, inquit, quibus ex rebus civitas haec proventus habeat, et quanti sint, nam planum est, haec te considerasse, ut, si quidam ex eis exigui sint, eos tu expleas: si qui autem praetermittantur, eos reditibus addas."

Haec ubi juveni eo molestiora accidebant, quandoquidem quae, auctore Socrate, δῆλα esse debebant, ipsi erant ἄδηλα, tum, sibi nescio an Socrati magis subiratus: « Sed (1) per Jovem, respondit, haec quidem non considera-

vi."

(1) Glauconem jam in angustiis versari, patet ex exquisito usu decies repetiti: ἀλλὰ. Vid. Xen. l. c. § 5 seqq.

vi." « Sed si hoc, reponit Socrates, prae misisti, saltem sumtus civitatis nobis exp to, nam certum est, cogitare te jam, ut pervacaneos tollas."

Glauco, quum haec iterum nesciret, t imperitiam suam et infantiam magis etiam osus, « sed per Jovem, inquit, neque unquam vacavi." Quibus disputatis, q Socrates Glauconem videret erubescentem minus quam laborantem, ita, rem salvam tus sibique de ironia gratulans, « Ergo, git, differamus aliquantum rationem locu tandae reipublicae. Nam qui possit fieri, harum rerum curam habeat is, qui et su et proventus ignoret?"

Itaque Socrates postquam suâ quâdam d mulantia, non minus benevolâ quam fest in angustias redegerat Glauconem, tum desultoris instar, sermonem abrumpens, « inquit, o Socrates, potest etiam ab hos respublica reddi locupletior." Quod Soc facile concedens illudque tenens: *qui bene tinguit, bene docet*, (1) « Per Jovem,

(1) Est videre h. l. quantopere Socraticum illud: *distin do definire*, in disputatione maxime cum ventosis aut irati habeat scopumque attingat. Vid. Xen. l. l. § 7. collat quae habentur I, 2. inde a § 33-38 ubi Socrates, simili ne distinguendo definiens, Critiam et Chariclem plane con deque gradu dejicit.

quit, vehementer quidem, si quis eos superet; at si eis inferior sit, etiam sua amiserit."

Hac assumptâ, sive distinctione, sive definitione, tum Socrates, « Ergo, inquit, qui deliberaturus est, adversus quos pugnandum sit, eum et civitatis et adversariorum vires habere cognitas oportet, ut, si majores sint civitatis, bellum suadeat; sin minores quam hostium, consulat caute agere." — Glauco, dictorum vim non assequens, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖ ἔχων, cum non videret, Socratem tantummodo praeludere, ita, interrogationi laete satisfaciens, « Recte, inquit, dicis." — Verum Socrates, ne Glauco tenuis grandia moliri persisteret, « Ergo, ait, nobis primum exponito, quae hujus civitatis tum pedestres tum navales sint copiae, deinde, quae adversariorum." Glauco, ut ne haec iterum et tertio nescire videretur, quod turpe ducebat, « Sed, per Jovem, reponit, non possim haec tibi sic statim memoriter exponere." Quem praetextum Socrates scilicet admittens, « At si quid conscriptum habes, profer, inquit: nam lubens hoc audierim." (1)

Hunc

(1) Vid. Xen. l. l. § 9. Quae vero habentur fine § 12. Σκέψομαι κ. τ. λ., haec ex Xenophonte potius interpretanda, quam cum interpretibus videntur mutanda. Cum enim probe teneret Glauco, Socratis dicta ironice esse accipienda, ita, missâ πρόφασι, Σκέψομαι, considerabo, inquit, id est: Recte mo-

nes,

Hunc in modum pergens postquam Soc
Glauconem ironice gradatim propulerat
tandem in aliena victoria non, Sophistae in
suam praedam fecit, aut, ἀλεκτρυόνος ἀγε
λίκην, victoriâ contentus, eam conclam
Hoc enim si verum esset, Socraticam ins
tionem non ἐπαγωγὴν sed *inductionem* hal
mus, ipsiusque artem non laudaremus, sed
raremur, neque, Socratem sequentes, hon
ad veritatem virtutemve educeremus, sed
dendo abduceremus aut circumveniremus
Verum, quod nostra evincit disputatio, Sc
tem nos eum cognovimus, qui, παίζων non
nus quam σπουδάζων, homines ἐπαγαγοῖ, ni
aliud studeret, quam ut ipsius ope nosce
semet ipsos, atque οἰκειοπραγίᾳ honesta app
rent.

Glauconem namque videns debellatum a
profligatum, non, veluti triumphans, adv
rium in gyrum ducebat, aut ipse subsiste
sed, « Cave, inquit, mi Glauco, ne, gl
cupidus, in contrarium prolabaris. Anno
des, quam periculosum sit, ea vel dicer

ness, o Socrates, tibi concedo, me τούτου ἡμιλλήσεσθαι, ideireo, meliora edoctus, argenti fodinas ipse adibo, quae oculis ipse lustrabo. Lectio, Σκέψομαι, confi etiam τῷ ἔσκεψαι, quod sequitur, et procul dubio huc i tinet, ut sibi invicem sint opposita.

facere aliquem, quae ignorat? Etiam alios consideres, quoscunque tales nosti, quales apparent ii, qui vel dicunt ea, quae nesciunt, vel faciunt; num tibi videantur propterea laudem potius, quam vituperium consequi; atque utrum in admiratione magis, quam in contemptu esse. Itidem cogites de iis, qui norunt, quidquid vel dicunt vel agunt: invenies, ut equidem existimo, in omnibus actionibus, eos, qui bene audiunt, et in hominum admiratione sunt, ex peritissimorum hominum esse numero; eos autem, qui male audiunt ac contemnuntur, ex numero esse imperitissimorum. — Quamobrem, si et clarus esse velis in republica, et in hominum admiratione, operam dato, ut ea noris, quae suscipere cogitas. Nam si, caeteris in hoc praestans, tractare negotia reipublicae coeperis, mirum mihi non erit, si facile consequaris ea, quae concupiscis."

Hisce enarratis, satis jam patere existimo, Socratem, cum studeret ἐπαγαγεῖν, nil fere aliud egisse, quam ut homines noscerent semet ipsos, itaque evaderent καλοκἀγαθοι. Hoc autem quum ageret, vere apparuit ἐρωτικὸς, quique adeo οὐδὲν ἄλλο se ferebat ἐπιστάσθαι, ἢ τὰ ἐρωτικά. Namque, tanquam ἐρωτικὸς, minus *rerum* quam *hominis* quaerebat naturam, atque om-

nem doctrinam, quae non vim insitam pro veret, aliis relinquens, οὐκ εἰμὶ, dicere sole τῶν πολιτικῶν, οὐκ εἰμὶ τῶν σοφῶν, verun *homo*, si ἔρως ageretur, eum se et tulit e tendit, qui, φίλτροις non minus quam ἐπῳ δεινὸς esset τὰ ἐρωτικά.

Itaque cum hominibus se accommod aliter, uti novimus, utebatur aliis, frenun jiciebat Glauconi, calcar vero adhibebat C midi, cunctos autem, ita studebat ἐπαγα ut, cognitione sui, ceu οἰκόθεν ἀρξάμενοι, ι ἀλλοιοπραγμοσύνῃ, vim insitam promove hanc in sui atque aliorum usum adhibe Sic, postquam Charmidi persuaserat, ipsi, pudore et verecundia, a republicâ adminis dâ abstinendum non esse, causam pero « Mi bone, inquit, noli te ipsum igno nec in illis delinque, in quibus plerique linquunt. Vulgus enim, magno studio e tum ad considerandum aliena negotia, n convertit ad se ipsos explorandos. Ne i hoc ex desidia omittas, sed magis enitere te ipsum respicias: nec reipublicae curam jice, si quâ parte poterit ea per te ju Nam si ea bene se habeat, non solum c cives, sed tui etiam amici, et ipse tu no rum utilitatis acquires."

Socratis cum Euthydemo sermones. (1)

Socratem novimus omnem operam eo impendisse, ut homines noscerent ipsi semet ipsos, αὐτὰ τὰ ὄντα respicerent, itaque, mutuâ vice, aliis rursus prodesse studerent. Hoc vero quo magis justa ratione efficeret, juvenes maxime, sapientiae suae opinione inflatos, data opportunitate, sic solebat ἐπαγαγεῖν, ut, disputatione institutâ, sibi non amplius sufficerent, verum, amoris quadam indigentiâ, ignorantiam profiterentur, ac tandem, cognitis erroribus, insatiabili ducti veri amore, pro veritate, tanquam pro amasiis, nil non susciperent atque aggrederentur.

Quamobrem cum Socrates vim probaret ἐλέγχου non minus, quam ἐπαγωγῆς, ita operae pretium est rationem disquirere, quâ Socrates Euthydemum primum pupugerit, tum, quo magis scopum attingeret, sibi conciliaverit, et tandem, interrogando et definiendo, eo adegerit difficultatum, ut suam agnosceret φαυλότητα atque εὐδενίαν, ab αὐτοδιδάξει desisteret, inscitiaeque atque infantiae suae unicum remedium in Socrate quaereret. Ita patuit vis praecepti Apol-

(1) Vid. Xen. op. l. IV, 2.

pollinis: γνῶθι σεαυτὸν, quod hoc loco mi
quantum illustretur. Cognitione enim sui,
minus indigentiâ, quâcum arcte est conjun
facile eo adducitur Euthydemus, ut se
dem despiceret ac plane pro nihilo habe
Socratem vero, patris instar, amore amp
teretur et coleret.

Itaque Socrates postquam varlis κέντροις
Euthydemum ex fucatae arrogantiae tor
suscitaverat, tum, inoepto insistens, solus
quando in officina habenarum opificis ip
convenit; quumque consedisset juxta ip
Euthydemus, « Dic mihi, inquit, mi
thydeme, an revera, quemadmodum au
multa eorum scripta collegisti, qui viri
pientes fuisse dicuntur? — Est ita profe
ρ Socrates, inquit, atque etiam nunc coll

(1) Vim horum κέντρων est videre apud Xenophontem
§ 8 initio, ubi: ἀκούοντες Εὐθυδήμου, significare videntur
fendente: nos dicamus: *zoo dat Euthydemus naar Soc*
pf de redenen van Socrates begon te luisteren. 'A
enim, si cum genitivo construitur, aut genitivus subintelligitur
tantum simpliciter notat: *hooren*, verum etiam: *naar iem*
luisteren, *of hooren of luisteren.* Recte, ut equidem exi
Nam aliud est: corpore aut sensu audire, aliud vero ita audir
per sensum νοῦς ἀκούῃ, mens id agat atque adsit. Mecum igitur
ciae, verba: ἀκούοντες Εὐθυδήμου, ita explicabis, ut repetit
contineant eorum, quae fusius habentur § 6 initio: Ἐπεὶ δ
πρὸς ὃν ὁ Εὐθύδημος ἤδη μὲν, οἷς ὁ Σωκράτης λέγοι, πρ
De simili vi τοῦ ἀκούω conf. idem Xen. Mem. II. 6, 31.

donec comparavero mihi, quam fieri poterit, plurima.

Miror te profecto, inquit Socrates, quod nec auri nec argenti thesauros tibi comparare malueris, quam sapientiae. Patet enim, quod existimes, argentum et aurum homines nihilo meliores efficere: sed sapientum dicta virtute illos ditare, qui ea acquisiverint. — Haec quum audiret Euthydemus, gaudebat, ut qui existimaret, videri Socrati, se sapientiae recte operam dare.

At ille animadvertens, hominem ea laudatione delectatum, « Cujus vero rei, mi Euthydeme, inquit, peritus evadere desiderans, haec scripta colligis? Quumque conticuisset Euthydemus, secum, quid responderet, dispiciens, rursus Socrates: num quid, ut medicus fias? inquit: nam multa etiam medicorum scripta sunt. — Minime equidem, inquit. At architectus fieri cogitas? Nam id quoque magno judicio hominem requirit. — Nullo modo, inquit. — At geometra bonus fieri cupis, ut Theodorus? — Ne geometra quidem. — At astrologus fieri vis? — Quum hoc quoque negasset, num carminum recitator? ait; nam te Homeri versus omnes tenere dicunt. — Minime profecto, inquit: nam recitatores versuum scio, accurate quidem tenere versus, verum

ip-

ipsos plane esse stolidos. — Et Socrates: num fortassis illam expetis virtutem, ait, mi Euthydeme, per quam homines rerum civilium et administrationis domesticae periti fiunt, et ad imperandum idonei, et utiles cum caeteris hominibus, tum sibimet ipsis? — Hic Euthydemus, « Vehementer, inquit, hac virtute mihi, o Socrates, opus est. — Profecto, ait Socrates, Virtutem pulcerrimam artemque maximam expetis; nam regum ipsa est, ac regia vocatur."

Hisce disputatis, cum Socrates non breviter, sed tamen apte viam muniisset ad ipsum aggrediendum Euthydemum, facilem jam ac delinitum, tum, ut τῷ θαυμάζειν per ἔλεγχον aliquando succederet τὸ ἀπορεῖν, cognitionis non minus sui quam verae philosophiae certissimum incitamentum, « Sed, inquit, an considerasti, num is, qui justus non est, fieri possit in rebus hujusmodi bonus? — Maxime vero, inquit: nec enim fieri potest, ut aliquis absque justitia civis bonus existat. — Quid igitur, ait, tune, hoc ut esses, operatus fuisti? — Arbitror equidem, o Socrates, inquit, me non minus quam alios videri justum. — Ergone, inquit, justorum hominum opera quaedam sunt, uti fabrorum? — Sunt, inquit. — Num igitur, perinde ac fabri opera sua demonstrare possunt,

sunt, sic et justi sua possunt exponere? — Egone, subjecit Euthydemus, opera justitiae non possim exponere? quin et injustitiae profecto. Nam ejusmodi non pauca quotidie tum cernere, tum audire est. — Vis igitur, ait Socrates, hic quidem D, istic vero A scribamus? ac deinde, quodcunque nobis esse opus justitiae videbitur, id ad D collocemus; quod autem injustitiae ad A? — Facito vero haec, ait, si quid horum requiri tibi videtur. Et Socrates, quum haec ita, uti dixerat, scripsisset, « Ergo, inquit, inter homines est: mentiri? — Est, inquit. — Utra in parte hoc collocabimus? — Planum, inquit, ad injustitiam. — Num et fallere? — Omnino, ait. — Utrubi vero id collocabimus? — Etiam hoc palam est, inquit, ad injustitiam. Quid damno afficere? — Etiam hoc, inquit. Quid in servitutem redigere? — Etiam hoc. — Ad justitiam vero, mi Euthydeme, nihil horum collocabitur? — Mirum sane id esset, ait. — Quid autem, si quis, imperator lectus, injustam et hostilem urbem in servitutem redigat, hunccine quidpiam in hoc injusti perpetrare dicemus? — Nequaquam, ait. — At juste agere dicemus? — Omnino. — Quid si decipiat eos, dum bellum adversus illos gerit? — Hoc quoque justum est, inquit. — At

si

si furtim adimat ac rapiat ipsorum res, non juste aget? — Omnino, ait: at ego primum arbitrabar, haec te respectu amicorum solummodo interrogare. — Quaecunque igitur, inquit, ad injustitiam retuleramus, ea sunt omnia ad justitiam quoque referenda? — Sic videtur, ait. — Vis igitur, ait, his ita positis, iterum definiamus, adversus hostes quidem justum esse, facere quaedam hujusmodi; sed injustum, adversus amicos; imo erga hos quam simplicissimum esse oportere?"

Itaque pergens, cum Socrates, definiendo maxime, Euthydemum refelleret atque ignorantiae convgueret, tum, quo magis ipse Euthydemus hanc persentiseeret, « Quid autem, inquit, si quis verum dicere velit, ac numquam de iisdem eadem dicat, sed, de eadem viâ loquens, modo quidem hanc versus orientem, modo versus occidentem dicat esse; et, rationes easdem reddens, modo plures, modo pauciores exhibeat; hic homo, quid tibi videtur?" —

His dictis, uti Euthydemus se peti videbat, ita non poterat, quin se, propter inscitiam τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν καὶ δικαίων, plane servilem haberet, (1) eumque, cui ignorantiae, tanquam

(1) Vid. Xen. l. l. § 22. Quae hic habentur, sunt lectu dignissima, non tantum ad ἐπαγωγὴν Socraticam, verum etiam ad ip-

quam animi morbi, omne solatium ac remedium a Socrate esset petendum. Quocirca, cum Euthydemus ad extremum venisset inopiae, tum Socrates, sua ratione opitulaturus, ic Dic mihi, ait, mi Euthydeme, Delphosne profectus aliquando es? — Imo bis, inquit. — An animadvertisti ad templum alicubi scriptum esse: *Nosce teipsum?* — Equidem. — Utrum igitur id ita scriptum nihil fecisti, an advertisti animum, ac temet considerare conatus es, qui sis? — Minime profecto, inquit; nam prorsus id me putabam jam scire. Vix enim aliquid aliud scirem, si ne me ipsum quidem nossem. — Utrum vero tibi videtur is semet nosse, qui nomen tantum suum novit, an qui, equos ementium more, non prius equum se nosse putantium, quem nosse volunt, quam inspexerint, utrum sit tractabilis, nec ne; utrum robustus, an debilis; utrum celer, an tardus: itemque in caeteris, quae vel equo conveniunt vel non conveniunt, quomodo se habeant: ita et ipse considerans semet, qualis sit ad usum humanum, vires suas novit?

Ita mihi constat, inquit, eum, qui vires suas non novit, ignorare semet ipsum. — An ve-

ipsum Socratem, ut vocatur, Xenophonteum, rite dijudicandum.

vero non perspicuum est, inquit, ex eo, quod se noverint, maxima homines bona percipere; quod autem vires suas ignorent, mala plurima? Nam qui seipsos norunt, quae sibi commoda sint, sciunt; et, quae vel possint, vel nequeant, dignoscunt; et, quum faciant, quae sciunt, comparant sibi ea, quibus indigent, ac bene agunt: quumque ab illis abstineant, quae nesciunt, non peccant, et, quo minus male agant, vitant: ac proinde caeteros quoque mortales quum explorare possint, etiam ex aliorum usu bona sibi comparant, et a malis sibi cavent. Quotquot vero per ignorantiam errant de viribus suis, illi ad homines caeteros, resque humanas alias, eodem modo affecti sunt; nec, quibus opus sibi sit, norunt, nec quid agant, nec quibus utantur: sed, omnibus his aberrantes, ut bonis frustrantur, sic in mala incidunt. Praeterea, qui sciunt, quid faciant, quum actionum suarum finem consequantur, celebres honoratique evadunt; quique similes sunt, lubenter illis utuntur; et, qui frustrantur instituto suo, cupiunt hos sibi consiliis subvenire, sibique praeesse, ac spem suam in eis collocant, et propter haec omnium maxime ipsos diligunt. Qui vero nesciunt, quae agant, cum male eligant, iisque, quae moliti sunt, frustrentur, non ea duntaxat ratione damno

quo-

quodam ac poena multantur, sed propterea etiam inglorii et ridiculi fiunt et contemti, dederoreque notati vivunt. Vides etiam civitates, quotquot ignorantes vires suas, bellum adversus potentiores suscipiant, partim prorsus everti, partim ex liberis in servitutem redigi."

His auditis, ubi Euthydemus vim jam *ἀλίσκεται* quodammodo *τοῦ γνῶθι σεαυτὸν*, tum Socrates eum nondum missum facit, sed, tanquam optimus *ἐπαγωγὸς*, amicum labentem ita fulcit et sustinet, ut movisse multum, verum promovisse parum, in neminem minus, quam in Socratem dici possit.

Euthydemus enim, ignorantiae jam conscius, cum nil magis studeret, quam ut ad celebratum illud, *γνῶθι σεαυτὸν*, aliquando perveniret, in reliqua disputatione a Socrate ita *ἐπαγαγεῖται*, ut, missis humanis ac caducis, omnem mentis aciem ad *αὐτὰ τὰ ὄντα*, quae sunt aeterna atque immutabilia, vertat ac figat. Quod Socrates cum agat, ita non *defendendo* causam agit, ut v. c. *αὐτὰ τὰ ὄντα*, tanquam unice vera atque expetenda, proponat et declaret: sic enim surdis fabulam narrasset; sed, *refellendo coarguendoque*, per *ἔλεγχον*, Euthydemum gradatim sic *ἀναγαγεῖ*, ut hic, praejudicatis opinionibus, tanquam vinculis, solutus, ipse per se

viam

viam cernat, quâ persequendâ ad cognitionem non minus sui, quam ad αὐτὰ τὰ ὄντα licet accedere.

Huc igitur ut Euthydemum educat, « Nosti tu omnino, inquit Socrates, qualia sint, tum quae bona, tum quae mala sunt? (1) — Profecto, ait: vel ipsis enim mancipiis vilior essem, si haec ignorarem. — Age vero, inquit, mihi quoque illa exponito. — Id quidem difficile non est, inquit. Primo enim ipsum: recte valere, bonum esse arbitror; morbo autem laborare, malum. Deinde, quae horum utriusque causae sunt, potus, cibi, vitaeque instituta, si qua rectam ad valetudinem conferunt, bona sunt; quae vero ad aegrotationem, mala. — Ergo, inquit Socrates, suâ ratione distinguendo definiens, tum recte valere, tum aegrotare, quum quidem boni alicujus causa sunt, bona fuerint scilicet: quum vero mali, mala. — At quando, ait, recte quidem valere mali alicujus causa esse possit, aegrotare vero boni? — Tum profecto, inquit, quum, qui vel militiae turpi, vel navigationi damnosae, vel aliis multis hujusmodi ob robur intersunt, pereant: alii vero, qui prop-

(1) Vid. Xen. l. l. § 31. Ex sequentibus vero patet: Euthydemum τὰ μὲν ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ i. e. τὰ ὄντα, ἐπεῖν ὅντως ἐστι, non novisse.

propter imbecillitatem absunt, incolumes evadant. — Vere dicis: sed vides, inquit, etiam nonnullos ob robur utilibus interesse, quum alii propter imbecillitatem absint. — Ergo haec, ait, quum nunc prosint, nunc noceant, quid magis bona, quam mala sunt? (1) — Nihil profecto, secundum hanc quidem rationem, videntur."

Itaque cum pergens Socrates ἐλέγχων, non tantum *sanitatem*, verum etiam τὴν σοφίαν et τὸ εὐδαιμονεῖν repudiaret, (2) quippe quae ab Euthydemo non ita essent informata, ut ipsa per se essent expetenda, tum, « Verum enimvero, ait Euthydemus, si nec felicitatem ipsam laudans, recte dico; fateor, me ne id quidem, quod precibus a Diis sit petendum, novisse. — At, inquit Socrates, fortasse tu haec nondum considerâsti, propterea, quod omnino scire te illa credebas..... Quia vero (3) te

(1) Vid. Xen. l. l. § 32. Sunt igitur haec, non minus de Socratis, quam Stoicorum sententiâ, *indifferentia*, ἀδιάφορα, uti Graeci dicunt. (2) Vid. § 34. De Socratis enim sententiâ ἐξ ἀμφιλόγων ἀγαθῶν constabant. Quocirca in Euthydemo illud carpit: quod non distinguebat inter *causam* et *opportunitatem*, sive, ut, apud Platonem in Phaedone, ipse dicit: quod non poterat διαλέσθαι, ὅτι ἄλλο μέν τι ἐστὶ τὸ αἴτιον τῷ ὄντι, ἄλλο δ' ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἂν ποτ' εἴη αἴτιον. (3) Vid. § 36. Est videre h. l., quomodo Socrates ὑποδιδασκόων sive ἀναμιμνήσκων, veram felicitatem exhibere incipiat,

te paras, ut civitati praesis, in quâ majestas est penes populum, haud dubie, quid dominatus popularis sit, nosti. — Omnino, ait. — Ergone putas, scire te posse, quid populi sit dominatus, si nescias, quid populus sit? — Minime, inquit. — Et quid putas esse populum? (1) — Equidem cives pauperes. — Et pauperes igitur nosti? — Quî non? — Ergo etiam nosti divites? — Nihilo minus quam pauperes. — Quales autem pauperes, et quales appellas divites? — Pauperes arbitror esse, quibus non suppetit, ut sumtus faciant necessarios: at quibus plus, quam satis est, suppetit, divites. — Ergone unquam animadvertisti, nonnullos, qui admodum pauca possident, non solum iis contentos esse, sed ex his etiam quaedam recondere et reliqui facere; quum aliis etiam admodum multa non sufficiant? — Ita est profecto, ait Euthydemus: nam

piat, ita quidem, quemadmodum, ab omni contagione immunis, ipsa se repraesentat, non magis Euthydemo, quam unicuique nostrum. Horatianum autem illud Ep. I, 12, 4.

« pauper non est, cui rerum suppetit usus."

vix opus est, ut in memoriam revocem.

(1) Δῆμος equidem verti per *populus*, ea significatione, quâ occurrit apud Martial. VIII, 15, 3. ubi, *populus*, *equitibus* et *senatui* opponitur; et apud Liv. XXXI, 50. qui verbis: *populo divisit*, similiter intellexit *pauperes*.

nam recte me submones. Etenim vel tyrannos novi, qui, ob inopiam, perinde ac maxime egeni, injuste agere coguntur. Ergo si haec, inquit Socrates, ita se habent, tyrannos ad populum, alios, qui pauca possident, si quidem rei familiaris administrandae periti fuerint, inter opulentos ponemus. — Etiam id fateri, ait Euthydemus, stupiditas me mea cogit: adeoque jam cogito, optimumne fuerit, me silere; parum enim abest, quin prorsus nihil sciam.

Itaque animo valde dejectus abiit, quum quidem et contemneret se ipsum, et reapse mancipium se esse crederet. (1) Ac multi quidem, hoc modo a Socrate habiti, non amplius eum conveniebant, quos etiam ignaviores esse putabat; verum Euthydemus non alia se ratione hominem frugi posse fieri arbitrabatur, quam si cum Socrate frequentissime versaretur; neque amplius ab ipso poterat abesse, nisi quid rei necessariae impediret: quin etiam quaedam ipsius instituta imitabatur. Itaque Socrates, cum Euthydemum sic affectum animadverteret, minime ipsum perturbabat, sed quam simplicissime et clarissime exponebat,

(1) Conf. § 31. ubi contra: εἰ γὰρ μηδὲν τούτοις εἶδε, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων φαυλότερος ἂν εἴη.

bat, quae putabat, eum scire debere; et, quibus operam dare, ducebat optimum.

Inquirendo, disputando enarrandoque jam eo pervenimus, ut, praemissa disquisitione de Ἐπαγωγῇ, nunc Socraticam Ἐπαγωγὴν ex ejus vi atque usu dijudicare nos oporteat. Equidem enim, ut facile concedam, arctissimam intercedere conjunctionem Ἐπαγωγὴν inter ac Socratem, hujus auctorem, in disquisitione tamen eam mihi viam praescripsi, ut, nisi singulatim διοριζόμενον, me operae pretium facturum non arbitrarer.

Et sane quis est, qui aliquid dijudicabit, nisi normam habeat, ad quam hanc illamve rem, ceu βάσανον, possit probare? Quis, ut exemplo utar, de poësi Homerica justam feret sententiam, si nesciat, quid sit *poësis?* Quis Socrati non subscribet, quando, de Amore verba facturus, ita praecipit: ὅτι πρῶτον μὲν δέοι αὐτὸν ἐπιδεῖξαι ὁποῖός τίς ἐστιν ὁ Ἔρως, ὕστερον δὲ τὰ ἔργα αὐτοῦ? (1)

Pa-

(1) Vid. Plato Sympos. p. 199. C. et 201 E. ubi: δεῖ δή, inquit Socrates, ὦ Ἀγάθων, ὥσπερ σὺ διηγήσω, διελθεῖν αὐτὸν πρῶτον, τίς ἐστιν ὁ Ἔρως καὶ ποῖός τις, ἔπειτα τὰ ἔργα αὐτοῦ. conf. p. 195 A.

Pariter igitur nos, aliorum vestigiis ingredientes, nostro quodam jure, primum Ἐπαγωγῆς naturam adumbrare studuimus, eo quidem proposito, ut, enarratis deinceps Socratis sermonibus, qui maxime valeant ad Socraticae Ἐπαγωγῆς vim cognoscendam atque usum, jam Ἐπαγωγὴν Socraticam rite cum dijudicaremus, tum integram nobis repraesentaremus. Recte enim Xenophon: (1) Εἰ δέ τινες Σωκράτην νομίζουσιν, (ὡς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι) προτρέψασθαι μὲν ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετὴν κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δὲ ἐπ' αὐτὴν οὐχ ἱκανὸν σκεψάμενοι, μὴ μόνον ἀ ἐκεῖνος κολαστηρίου ἕνεκα τοὺς πάντ' οἰομένους εἰδέναι ἐρωτῶν ἤλεγχεν, ἀλλὰ καὶ ἃ λέγων συνημέρευε τοῖς συνδιατρίβουσι, δοκιμαζόντων, εἰ ἱκανὸς ἦν βελτίους ποιεῖν τοὺς συνόντας.

Locum Xenophonteum integrum citavi, quandoquidem hinc dilucide apparet, Socratis tempore jam adfuisse, qui, τὰ ἀπὸ τῆς Ἐπαγωγῆς pro ipsa habentes Ἐπαγωγῇ, quadrata, uti ajunt, rotundis turpiter miscuerunt. Quod Xenophon animadvertens, Socratis Memorabilia ita conscripsit, ut peculiariter rationem haberet eorum, qui existimarent, Socratem non ἐπαγαγεῖν, sed εἰσαγαγεῖν aut παραγαγεῖν, ut ipsius verbis utar,

(1) Mem. I. 4. 1.

utar, Socratem *προτρέψασθαι μὲν ἀνθρώπους ἐπ' ἀρετὴν κράτιστον γεγονέναι, προαγαγεῖν δὲ ἐπ' αὐτὴν οὐχ ἱκανὸν*. De hoc quo certius judicaremus, de Xenophontis praecepto, consideravimus *μὴ μόνον ἃ ἐκεῖνος κολαστηρίου ἕνεκα τοὺς πάντ' οἰομένους εἰδέναι ἐρωτῶν ἤλεγχεν, ἀλλὰ καὶ ἃ λέγων συνημέρευε τοῖς συνδιατρίβουσι*. Nam tum demum nobis constabit, ac sententiam ferre licebit, utrum Socrates revera *ἐπήγαγε*, id est, *προήγαγε ἐπ' ἀρετὴν*, adeoque *ἱκανὸς ἦν βελτίους ποιεῖν τοὺς συνόντας*.

Quicunque haec mea, qualiacunque tandem, legerit, videbit, ni fallor, me minus facere cum iis, qui *Ἐπαγωγὴν* Socraticam non integram quaerunt, sed *ἀφελόντες τῆς ἐπαγωγῆς τι εἶδος ὀνομάζουσιν τὸ τοῦ ὅλου ἐπιτιθέντες ὄνομα ἐπαγωγὴν, τὰ δὲ ἄλλα ἄλλοις καταχρῶνται ὀνόμασιν*. Ita enim usu venit, ut homines, *ἀπὸ πάσης τῆς ἐπαγωγῆς ἓν μόριον ἀφορισθὲν τῷ τοῦ ὅλου ὀνόματι προσαγορεύοντες*, (1) *Ἐπαγωγὴν* Socraticam aut pro inductione haberent, aut mira quadam comparandi facultate contineri existimarent.

Nam concesso, quod volunt, quidni ego pari jure *Ἐπαγωγὴν* Socraticam ita definiam, ut dicam, eam *interrogando* hominibus se accommo-

(1) Vid. Plato Sympos. p. 205. B et C. ubi, quae habentur περὶ Ἔρωτος et Ποιήσεως, nos transtulimus ad *Ἐπαγωγὴν*.

modare, neque disquirendo illud tantum probare, *quid sit aliquid*, sed suâ ratione oculis etiam subjicere, *esse aliquid*. Novimus praeterea, ἐπαγωγὴν Socraticam res, in disputationem cadentes, ita considerare, ut non nisi *hominibus* inserviant, utque discipulus, ceu amicus, ita educatur, quemadmodum ipse doctor ad veritatem escendit, utque tandem definitiones non ponantur, sed distinguendo veluti pariantur. Itaque aequi simus, ac, missis definitionibus, veritatis viam nobis praeoludere desinamus, omnia vero, quae enumeravi, ita consideremus, ut Ἐπαγωγῆς Socraticae sint veluti modi ac characteres, qui necessario requiruntur, ut multiplex hominis ingenium suâ ratione sensim paulatimque a mundo ὁρατῷ ad alterum, qui est νοητὸς, convertatur.

Ne vero existimemus, haec Socratem Platonicum forte decere, verum aliena esse ab eo, qui vocatur Xenophonteus, age, Socraticae Ἐπαγωγῆς *rationem* et *propositum* ex Xenophonte *constituere*, ex Platone vero *illustrare* operam navabimus. Sic namque optime tollitur discrepantia, quae, si Dis placet, Socrati Xenophonteo cum Platonico, ut vocatur, intercedit, ac viam muniemus, ad aliorum de Ἐπαγωγῇ Socratica opiniones ratione cum recensendas, tum dijudicandas.

Est

Est vero difficile et lubricum sane negotium, si Socraticam ἐπαγωγὴν, quâ late patet, ex Xenophonte paucis constituere velimus. Ἐπαγωγὴ enim suapte naturâ eo maxime differt ab analysi et syllogisticâ, ut non solum *res*, sed inprimis *homines* spectet. Sic autem factum, ut arctissime cohaereat cum *Socrate*, qui *docet*, et cum *hominibus*, qui *docentur*. Propositum namque ἐπαγωγῆς prorsus fuit Socraticum, ita ut, Socrate auctore, homines operam navarent cognitioni sui, αὐτῷ τὰ ὄντα respicerent, atque ita evaderent καλοκἀγαθοί, meliores non minus quam sapientiores. — Haec vero uti valent de *proposito*, ita *ratio*, quâ Socrates studebat ἐπαγαγεῖν, aliunde videtur repetenda. Recte enim Xenophon; πάντων μὲν γὰρ, ὧν ἐγὼ οἶδα, μάλιστα ἔμελεν αὐτῷ εἰδέναι, ὅτου τις ἐπιστήμων εἴη τῶν συνόντων αὐτῷ. (1) Quo comperto, Socrates, eodem auctore Xenophonte, οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ πάντας ἦει, (2) sed, aliter utens aliis, iis, quos studebat ἐπαγαγεῖν, ita se accommodabat, ut, Xenophontem legens, Socratis fere obliviscaris, (3) unice vero iis adhaereas, qui disputantes inducuntur. Neque disputant hi tantum, verum etiam spirant, mo-

(1) Vid. Xen. Mem. IV, 7. 1. (2) Vid. Xen. Mem. IV. 1. 3. (3) Recte, nam *qui bene latet, bene docet.*

moventur, legentem animant et in actionis societatem inducunt.

Haec igitur cum ita se habeant, sequitur, ni fallor, rationem Socraticae ἐπαγωγῆς ejus proposito dijudicatu longe esse difficiliorem, ideo maxime, quandoquidem propositum Socraticae ἐπαγωγῆς unum fuit, viae vero, eo conducentes, tot tamque variae, ut eas omnes una definitione haud facile complectaris.

Socraticae autem Ἐπαγωγῆς si rationem propriam quaerimus, equidem vix quidquam invenio, quo magis se distinguat, quam illud: Socratem nimirum, uti ipse ἐπισκοπῶν solebat ἐξευρίσκειν, ita, ἐπερωτῶντα atque ὑποδδεικνύοντα, alios studuisse ἐπαγαγεῖν. Sic enim sensim paulatimque procedens id efficiebat, ut alii primum non nisi simplicia ac cognita attenderent, his vero disquisitis, rerum notiones ipsi assequerentur, ac tandem per notiones ipsi semet ipsos sive αὐτὰ τὰ ὄντα respicerent, itaque evaderent καλοκἀγαθοι.

Etenim, ait Xenophon, (1) « si quis ipsi de aliquo contradiceret, deque eo nil certi posset dicere, sed sine demonstratione alium, quem proprio Marte ipse proferret, vel sapientiorem, vel rerum politicarum peritiorem, vel

(1) Mem. IV. 6. 13. sqq.

vel fortiorem, vel aliud quid istiusmodi esse asseveraret, tum Socrates omnem sermonem sensim paulatimque ad quaestionem solebat educere, hoc fere modo: « Tune meliorem esse civem affirmas, quem tu laudas, quam quem ego? — Affirmo. — Nonne igitur illud primum nobis considerandum, quidnam boni civis sit officium? — Per me licet. — Itaque in administratione rei pecuniariae potior sit, qui pecuniis civitatem reddit opulentiorem? — Omnino, inquit. — At in bello, qui hostibus superiorem? — Quidni? — In legatione vero, qui amicos ex hostibus comparet? — Hic quidem jure. — Itaque in concione etiam, qui factiones sedat et concordiam parat? — Mihi certe videtur. Οὕτω δὲ τῶν λόγων ἐπαναγομένων, (1) καὶ τοῖς ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς φανερὸν ἐγίγνετο τ' ἀληθές. Ὁπότε δὲ αὐτός τι τῷ λόγῳ διεξίοι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο, νομίζων ταύτην τὴν ἀσφάλειαν εἶναι λόγου.

Hisce lectis, ad rationem Socraticae Ἐπαγω-

(1) Eandem vim τοῦ: ἴστι, odorari licet § 15. in ἐπανῆγω et §. 14. in ἐπιστηψάμεθα, inprimis vero Oecon. XIX. 15. ubi ἴστι in ἐπιστωτῶν exquisitiorem habet usum; nam ἡ ἐρώτησις tum demum διδασκαλία ἐστίν, quando quis ἐπιστωτᾷ ἕκαστα, id est, rogando aliquem ἐπαγαγεῖ, ita, ut ἐρωτώμενοι οἱ ἄνθρωποι αὐτοὶ λέγωσι πάντα ἃ ἔχει. Conf. Plat. Phaedo ed. Wytt. p. 27 fine.

γωγῆς duo maxime videntur animadvertenda:

I. Socratem διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ita processisse, ut, alium ἐπαγαγῶν, non nisi cognita ac bene perspecta attingeret; haec autem ita attigisse, ut

II. Ordine singula disponeret, ac singulatim ita procederet, ut a simplicibus ad composita, a minoribus ad majora, a cognitis ad incognita haberetur veluti escensio. Hoc enim sibi velle videtur Xenophon, quando dicit: Socratem, ἐπισκεψάμενον aliumque ἐπερωτῶντα, πάντα τὸν λόγον ἐπὶ τὴν ὑπόθεσιν ἐπαναγεῖν, vel, quod idem est, Socratis ope τοὺς λόγους ἐπαναγέσθαι, id est, ita institui, ut τῶν λόγων haberetur veluti ἐπάνοδος, inque sermonibus cernerentur veluti ἐπαναβαθμοὶ.

Verum, hisce lectis et pro viribus explicitis, facile illud existimaremus: Socratem hoc duntaxat egisse, ut singulatim sensim paulatimque ad ὑπόθεσιν, ad quaestionem, escenderet, utque ita, τῶν λόγων ἐπαναγομένων, τοῖς ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς φανερὸν γίγνοιτο τ' ἀληθές. Quod cum omnino sit cavendum, operae pretium est, Socratem etiam audire, ὁπότε αὐτός τι τῷ λόγῳ διεξίοι. Usu enim venire solet, ut vim insitam ac propriam tum maxime declaremus, quando, praeter consuetudinem, aliquid aut dicamus, aut agamus.

So-

Socrates igitur, in animo habens, ut homines ad temperantiam ἐπαγαγοῖ, (1) « Ὦ ἄνδρες, inquit, si, bello nobis oborto, virum vellemus eligere, quo duce atque auspice, ipsi maxime conservaremur, hostes vero subigeremus, num eum eligeremus, quem aut gulae vino rebusque venereis deditum, aut labori somnoque imparem existimaremus? Nam quâ tandem ratione existimaverimus, hujusmodi hominem vel nos conservaturum, vel hostes superaturum? Si vero, vita jamjam excessuri, filiorum institutionem, aut filiarum custodiam, pecuniarumve conservationem, alicujus fidei et tutelae vellemus committere, num, ad haec praestanda, hominem intemperantem idoneum haberemus? Servo autem intemperanti, vel pecora committeremus, vel penus, seu inspectionem operum rusticorum? Servum autem mediastinum opsonatoremque ejusmodi, gratis nobis parare vellemus? Quoniam vero ne servum quidem intemperantem nobis acquisituri simus, quî non oportet cavere, ne quis ipse talis evadat? Etenim non, quemadmodum avari, aliis pecunias auferentes, seipsos videntur collocupletare, ita intemperans, aliis quidem nocet, sibi vero prodest; sed, ut aliis pernicio-

sus

(1) Vid. Xen. Mem. 1, 5.

sus est, ita sibi ipsi multo perniciosior; si quidem longe perniciosissimum est, non modo domum suam destruere, sed et corpus et animum. Praeterea in conversatione quis ejusmodi homine delectetur, quem obsonio et vino magis gaudere sciat, quam amicis; magisque scorta diligere, quam socios? Nonne quemvis hominem, qui norit, temperantiam virtutis veluti basin esse, hanc ante omnia in animo suo parare decet? Quis enim absque hac aliquid boni aut discat, aut recta ratione commentetur? Vel quis, voluptatibus serviens, cum corpore tum animo non turpiter sit dispositus? Equidem certe firmiter mihi habeo persuasum, homini, si liber sit, optandum esse, ut hujusmodi servum non consequatur; sin vero talibus voluptatibus inserviat, eum supplicem Deos oportere orare, ut dominos bonos nanciscatur; nam hoc tantum modo talis homo salvus evadat."

Hisce enarratis, ad rationem Socraticae Ἐπαγωγῆς probe tenendam, tria maxime non videntur praetermittenda:

I. Socratem, ut commendaret temperantiam, variis adductis exemplis, intemperantiae mala recensuisse, hanc rursus distinxisse ab avaritia, ita ut, aliud agendo, revera causam sustineret temperantiae. Unde simul factum appa-

paret: Socraticam ἐπαγωγὴν cum ejus κάθαρσι, ἐλέγχῳ, μαιευτικῇ rel. arcte cohaerere. Comparando enim temperantiam cum intemperantiâ, et hanc rursus cum avaritia, elicuit non minus, quam praejudicatis liberavit opinionibus, ita ut tandem temperantia, tanquam sensibus patens, ab omni contagione immunis ac libera prodiret.

II. Socratem, naturae viâ, per mundum ὁρατὸν in alterum, qui est νοητὸς, ita escendere, ut primum quaerat cognita ac sensibilia, tum per exempla ipsam temperantiam constituat, (1) ac tandem doceat, quid et qualis sit.

III. Socratem non id egisse, ut homines cognoscerent temperantiam, itaque subsisterent, verum ad ipsam temperantiam eos studuisse ἐπαγαγεῖν.

Hoc vero quo magis pateat, operae pretium videtur, ex Xenophonte peculiariter disquirere, quodnam fuerit ἐπαγωγῆς Socraticae propositum, quae vis et efficacitas.

§ IV.

(1) Itaque videmus, Socratis exempla tantum distare a rhetoricorum metaphoris, quantum apud nos *voorbeelden* a *zinnebeelden*. Uti enim illa justa ratione veritatem praecedunt, ita haec eam sequuntur et investiunt.

§ IV.

Socraticae ἐπαγωγῆς propositum atque efficacia.

Dictum est saepenumero, Socratis philosophiam popularem non ex Platonis dialogis, sed e Xenophontis Memorabilibus esse petendam. Recte, ut videtur; dummodo ne quis existimet, popularitate assumta, necesse esse, aliud haberi propositum. Sic enim, quod nolimus, aut Socratem non germanum philosophum, aut Xenophontem non germanum Socraticum haberemus. Itaque mecum cogitans, cum dubius haererem, ad duo maxime animum adjeci, primum ad Xenophontem, qui enarrat, secundo ad Socratem, qui inducitur, et, ἐπίκρισι instituta, sic occurrit, ut ἐπαγαγῶν semper exquirat: τί εὐσεβὲς, τί ἀσεβές· τί καλὸν, τί αἰσχρόν· τί δίκαιον, τί ἄδικον· τί σωφροσύνη, τί μανία· τί ἀνδρία, τί δειλία· τί πόλις, τί πολιτικός· τί ἀρχὴ ἀνθρώπων, τί ἀρχικὸς ἀνθρώπων· καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ἃ τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δὲ ἀγνοοῦντας ἀνδραποδώδεις ἂν δικαίως κεκλῆσθαι. (1) His lectis, videmus, ni fallor, Socratem nil fere aliud egisse, nisi ut ho-

(1) Vid. Xen. Mem. I. 1. 16.

homines efficeret καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς. Quod vero quum ageret, prae caeteris attendit ea, quae sunt καλὰ τὲ καὶ ἀγαθὰ, quae sunt ipsa per se honesta, neque minus aliis, quam nobismet ipsis, utilia, tum, quod nobis certe non videtur negligendum, docendi methodo, quam posteri vocarunt ἐπαγωγὴν, summum praescripsit propositum, τὴν καλοκαγαθίαν. Et hoc sane nemo quisquam mirabitur, dummodo teneat, memoratam καλοκαγαθίαν animo non minus Xenophontis, quam Socratis, ita fuisse obversatam, ut occurrat tanquam κάλλιστη καὶ μεγαλοπρεπεστάτη ἀρετὴ, ᾗ πόλεις τε καὶ οἶκοι εὖ οἰκοῦσι, (1) et ad quam, ceu μυστήρια μεγάλα et ἐποπτικὰ, nemini licet accedere, nisi qui, per temperantiam perque cognitionem sui, rite sit purgatus et veluti initiatus. Itaque recte aliquando Euthydemus: Δοκεῖς μοι, inquit, ὦ Σώκρατες, λέγειν, ὡς ἀνδρὶ ἥττονι τῶν διὰ τοῦ σώματος ἡδονῶν πάμπαν οὐδεμιᾶς ἀρετῆς προσήκει, (2) quemadmodum, de ejusdem Socratis sententiâ, ir, qui per ignorantiam viribus suis frustrantur, πρός τε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους καὶ τἄλλα ἀνθρώπινα πράγματα ὁμοίως διάκεινται· καὶ οὔτε ὧν δέονται ἴσασιν, οὔτε ὅτι πράττουσιν, οὔτε οἷς χρῶνται, ἀλλὰ πάντων τούτων διαμαρτάνοντες τῶν

(1) Vid. Xen. Mem. I. 2. 64. (2) Vid. Xen. Mem. IV. 5. 11.

τῶν τε ἀγαθῶν ἀποτυγχάνουσι, καὶ τοῖς κακοῖς περιπίπτουσι. (1)

Verum haec uti temperantiam spectant et cognitionem sui, ita, ad ipsam dijudicandam καλοκἀγαθίαν, duo potissimum videntur animadvertenda:

I. Ἡ καλοκἀγαθία, quemadmodum occurrit apud Xenophontem, arctissime cohaeret cum doctrina de ideis. Propositum namque Socraticae ἐπαγωγῆς non eo pertinebat, ut homines δημηγορικοὶ ἢ δικανικοὶ γένοιντο, ἀλλ' ἵνα καλοὶ τε κἀγαθοὶ γενόμενοι καὶ οἴκῳ καὶ οἰκέταις καὶ οἰκείοις καὶ φίλοις καὶ πόλει καὶ πολίταις δύναιντο καλῶς χρῆσθαι. (2) Itaque tantum abfuit, ut honestatem utilitati subjiceret, ut contra: τὸ μαθεῖν τί καλὸν καὶ ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἐπιμεληθῆναι τῶν τοιούτων τινὸς, conditionem haberet, sine qua nemo καὶ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα καλῶς διοικήσειε, καὶ τὸν ἑαυτοῦ οἶκον καλῶς οἰκονομήσειε, καὶ φίλοις καὶ πόλει ὠφέλιμος γένοιτο, καὶ ἐχθρῶν κρατήσειεν. (3) Hoc vero modo cum αὐτὰ τὰ ὄντα, ipsas ideas, respiceret, assequimur, ni fallor, quare Socrates καλοκἀγαθίαν optimum censeret χρίσμα, (4) ac καλλίστην μελέτην ἀπολογίας νόμιζοι, ὅτι οὐδὲν ἄλλο ποιῶν διαγεγένηται, ἢ διασκοπῶν μὲν τά

(1) Vid. Xen. Mem. IV. 2. 27. (2) Vid. Xen. Mem. I. 2. 48. (3) Vid. Xen. Mem. IV. 5. 10. et 6. 1. (4) Vid. Xen. Conv. II. 4.

τά τε δίκαια καὶ τὰ ἄδικα, πράττων δὲ τὰ δίκαια καὶ τῶν ἀδίκων ἀπεχόμενος, (1) tum illud etiam assequimur, quare Socrates temperantiam ideo maxime ἀρετῆς κρηπίδα habuerit, quandoquidem τοῖς ἐγκρατέσι μόνοις ἔξεστι σκοπεῖν τὰ κράτιστα τῶν πραγμάτων, καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ διαλέγοντας κατὰ γένη, τὰ μὲν ἀγαθὰ προαιρεῖσθαι, τῶν δὲ κακῶν ἀπέχεσθαι. (2) Quid plura? Socrates enim, quid sibi vellet similitudinibus istis, et exemplis, quae vel puero paterent, sermo declaravit, quem aliquando habuit cum Critia. Hic namque, in angustias redactus, uti irati solent, sermonem ita abrupit: Ἀλλὰ τῶνδέ τοί σε ἀπέχεσθαι, ἔφη, δεήσει, ὦ Σώκρατες, τῶν σκυτέων καὶ τῶν τεκτόνων καὶ τῶν χαλκέων· καὶ γὰρ οἶμαι αὐτοὺς ἤδη κατατετρίφθαι διαθρυλλουμένους ὑπὸ σοῦ. Ad quae vero cum Socrates placide reponeret: Οὐκοῦν καὶ τῶν ἑπομένων τούτοις, τοῦ τε δικαίου καὶ τοῦ ὁσίου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων; ostendit nimirum, quam arcta intercederet conjunctio summam inter simplicitatem et sublimitatem. (3)

His lectis, uni alterive illud forsitan scrupulum injiciat: haec nimirum, ut vera sint, vel sic tamen non omni exceptione esse majora, ideo

(1) Vid. Xen. Mem. IV. 8. 4. (2) Vid. Xen. Mem. IV. 8. 11. (3) Vid. Xen. Mem. I. 2. 37.

ideo maxime, quandoquidem in iisdem Memorabilibus exempla inveniuntur, quibus contrarium probetur: Socratem scilicet τὰ καλὰ ita considerasse, ut cederent τοῖς ἀγαθοῖς. (1) Haec ut lubens equidem concedo, ita illud adjicio: perperam agere eos, qui, praepostera ratione, ex ungue leonem non cognoscere, sed dijudicare tentant. Quod cum omnino sit cavendum, ita ad Socraticam ἐπαγωγὴν, quâ late patet, illud etiam animadvertisse juvabit:

II. Propositum Socraticae Ἐπαγωγῆς neminem attingere, nisi qui idem sit sapientiae et virtutis studiosus. Est namque animadversione dignum, Socrati visum fuisse: κρίνειν οὐκ ἐπισταμένους, ἃ δεῖ πράττειν, πολλάκις πονηροῖς ἐπιχειρεῖν πράγμασι, (2) τοὺς δὲ μὴ εἰδότας, τί ἕκαστον εἴη τῶν ὄντων, αὐτούς τε σφάλλεσθαι καὶ ἄλ-

(1) Vid. e. g. Xen. Mem. IV. 4. 22. Socraticam vero dialecticam, qualis exstat apud Xenophontem, non ubique aeque esse commendandam, ex iisdem patet Memorabilibus. v. c. IV. 2. 20. IV. 4. 15. et IV. 6. inprimis § 6. Ita patuit, vere dixisse Laveaux, op. c. T. IV. p. 252. « Sa vie entiere etoit encore plus pure et plus exempte de fautes, que sa philosophie d'erreurs." Sed vel sic tamen novimus, faciendum non esse vel cum Aeschine, vel cum Zenone Sidonio Epicureo; ubi ille, in Orat. contra Timarchum p. 168 seqq. ed. Reisk., Socratem τὸν σοφιστὴν vocavit; hic vero, apud Cic. de N. D. I. 34. non solum Apollodorum, Syllum, ceteros petebat maledictis, sed Socratem adeo, Latino verbo utens, *Scurram Atticum* dicebat. (2) Vid. Xen. Mem. IV. 1. 4.

ἄλλους σφάλλειν. (1) Ita autem cum cogitaret, dicebat, temperantes, λόγῳ καὶ ἔργῳ διαλέγοντας κατὰ γένη, τὰ μὲν ἀγαθὰ προαιρεῖσθαι, τῶν δὲ κακῶν ἀπέχεσθαι, (2) et σοφίαν καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζεν, ἀλλὰ τὸν τὰ μὲν καλά τε καὶ ἀγαθὰ γιγνώσκοντα χρῆσθαι αὐτοῖς, καὶ τὸν τὰ αἰσχρὰ εἰδότα εὐλαβεῖσθαι σοφόν τε καὶ σώφρονα ἔκρινε, (3) id est, *sapientiam et temperantiam non distinxit, sed eum, qui illa, quae non tantum honesta et utilia verum etiam turpia sunt, ita cognovit, ut illis quidem utatur, haec vero provide caveat, aeque sapientem ac temperantem judicavit.* Quod quomodo sit accipiendum, ipse Socrates nos edoceat, ubi, πάντας γὰρ, inquit, οἶμαι προαιρουμένους ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, ἃ ἂν οἴωνται συμφορώτατα αὐτοῖς εἶναι, ταῦτα πράττειν. νομίζω οὖν τοὺς μὴ ὀρθῶς πράττοντας οὔτε σοφοὺς οὔτε σώφρονας εἶναι. (4)

Ἔφη

(1) Vid. Xen. Mem. IV. 6. 1. (2) Vid. Xen. Mem. IV. 5. 11. (3) Vid. Xen. Mem. III. 9. 4. Vix opus est ut animadvertam, ante χρῆσθαι et εὐλαβεῖσθαι cogitatione supplendum esse ὄντα. Illud vero non reticendum, sapientem Socraticum plane respondere ei, quem nos vocamus: *wijs*. Hunc enim a docto, *geleerde*, ita distinguimus, ut hic veritatem tantummodo noverit, aut sibi novisse videatur, ille contra veritatem veluti practicam efficiat, indeque, uti Cicero ait, a deliberatione ad actionem procedat. (4) Quod paucis probaverat de virtutis parte, temperantia, jam, data magis opera, de universa virtute probatum ivit.

Ἔφη δὲ καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην πᾶσαν ἀρετὴν σοφίαν εἶναι. (1) τά τε γὰρ δίκαια καὶ πάντα, ὅσα ἀρετῇ πράττεται, καλά τε καὶ ἀγαθὰ εἶναι· καὶ οὔτ' ἂν τοὺς ταῦτα εἰδότας ἄλλο ἀντὶ τούτων οὐδὲν προελέσθαι, οὔτε τοὺς μὴ ἐπιστάμενους δύνασθαι πράττειν, ἀλλὰ καὶ, ἐὰν ἐγχειρῶσιν, ἁμαρτάνειν. οὕτω καὶ τὰ καλά τε καὶ ἀγαθὰ τοὺς μὲν σοφοὺς πράττειν, τοὺς δὲ μὴ σοφοὺς οὐ δύνασθαι, ἀλλὰ καὶ, ἐὰν ἐγχειρῶσιν, ἁμαρτάνειν. ἐπεὶ οὖν τά τε δίκαια καὶ τὰ ἄλλα καλά τε καὶ ἀγαθὰ πάντα σοφίᾳ (2) πράττεται, δῆλον εἶναι, ὅτι καὶ ἡ δικαιοσύνη (3) καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα ἀρετὴ σοφία ἐστί.

Vis hujus argumentationis mihi huc redire videtur, ut, de Socratis sententiâ,

I. Nemo sit sapiens, nisi qui veritati ita operam navaverit, ut αὐτὰ τὰ ὄντα, inprimis vero τὰ καλά τε καὶ ἀγαθὰ, habeat perspecta.

II. Sapientiae cum virtute nullum intercedat discrimen, quandoquidem consequens est, neminem id appetere, quod non novit, neque optimum habet, et contra; virtutem igitur sapi-

(1) Hunc locum procul dubio respexit Sen. Ep. 71, ubi, « Socrates, inquit, idem esse dicebat veritatem et virtutem.» Confl. Liptius ad h. l. et Prov. XIX. 8. (2) Vid. Xen. Mem. III. 9. 5. Si cum Reiskio pro ἀρετῇ legas σοφίᾳ, non est, quod de loci obscuritate conqueraris. (3) Weiske mihi persuasit, pro δικαιοσύνη legendum esse: ἡ δικαιοσύνη.

95353

pientiae ita respondere, uti veritati sapientiam. (1)

Verum haec uti magnopere valent ad Socraticam ἐπαγωγὴν rite dijudicandam, ita jam operae pretium videtur ex eodem Xenophonte vim exquirere Socraticae ἐπαγωγῆς.

Hanc sane ex ejus ratione et proposito probabiliter quis efficiat. Utrumque enim eo maxime pertinuit, ut non tantum ingenium acueretur, verum excoleretur simul animus. Hinc autem quum in homine τελειοτάτη existeret ἁρμονία, (2) ita, ad Socraticam ἐπαγωγὴν rite di-

(1) Quae hic habentur, quamvis philosophum deceant, tamen non omni exceptione sunt majora. Nam non semper sapientes sunt temperantes, vid. § 4. neque semper philosophi sunt sapientes, id est, veritatem practicam efficiunt, aut sapientes virtuti operam navant. Quocirca conclusio, quae habetur § 5. fine, inde a verbis ἀτεὶ οὖν. κ. τ. λ., non videtur probanda. Ipse Socrates meliora vidit l. l. § 4. IV. 4. 10. et IV. 5. 6. ubi, de intemperantia verba faciens, πολλάκις, inquit, αἰσθανομένους τῶν ἀγαθῶν τι καὶ τῶν κακῶν ἐπιλίζαντα ποιεῖ τὸ χεῖρον ἀντὶ τοῦ βελτίονος αἱρεῖσθαι. Conff. ea, quae apud Platonem in Symp. p. 215 D seqq. ipse de se profert Alcibiades, videt meliora probatque, sequitur tamen deteriora. Itaque, quamvis verum sit, sapientiam esse veluti practicam veritatem, virtutem autem tanquam practicam sapientiam, tamen, quod de Socrate valet, non de omnibus valet: omnes nimirum philosophos esse sapientes, aut omnes sapientes virtutem excolere.

(2) Cavendum sane, ne harmoniam in homine tum adesse statuamus, quando omnes facultates similiter sint excultae. Sic enim facultatum haberetur ochlocratia, aut homo, Endymionis instar, ceu somno, torperet. Εἴη, scilicet ὁ λόγος, βασιλεὺς, εἰς κείρανος ἔστω.

dijudicandam, frustra quis proficiet, nisi ipsum etiam Socratem, ἐπαγωγῆς auctorem, habeat perspectum.

Uti enim pectus est, quod disertum facit, et, in rebus moralibus certe, τρόπος ἔσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος, ita una cum Xenophonte (1) φαίην δ' ἄν ἔγωγε, μηδενὶ μηδεμίαν εἶναι παίδευσιν παρὰ τοῦ μὴ ἀρέσκοντος. Hinc, quod in reliquos doctores dicit Antiphon, (2) eos nimirum τοὺς μαθητὰς μιμητὰς ἑαυτῶν ἀποδεικνύναι, maxime valet in Socratem. Hic namque ita describitur, ut αὐτός τε μακάριος εἶναι, καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπὶ καλοκἀγαθίαν videretur ἄγειν, (3) τοὺς ξυνόντας videretur ὠφελεῖν, τὰ μὲν ἔργῳ δεικνύων ἑαυτὸν οἷος ἦν, τὰ δὲ καὶ διαλεγόμενος. (4) Quod Xenophon, cum probe teneret, Πῶς οὖν, inquit, (5) αὐτὸς ὢν τοιοῦτος, ἄλλους ἂν ἢ ἀσεβεῖς ἢ παράνομους ἢ λίχνους ἢ ἀφροδισίων ἀκρατεῖς ἢ πρὸς τὸ πονεῖν μαλακοὺς ἐποίησεν; ἀλλ' ἔπαυσε μὲν τούτων πολλοὺς, ἀρετῆς ποιήσας ἐπιθυμεῖν, καὶ ἐλπίδας παρασχὼν, ἂν ἑαυτῶν ἐπιμελῶνται, καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἔσεσθαι. Καίτοι γε οὐδὲ πώποτε ὑπέσχετο διδάσκαλος εἶναι τούτου· ἀλλὰ τῷ φανερὸς εἶναι

(1) Mem. I. 2. 39. Sententiam nos universe accepimus, ita ut tam in doctores, quam in discipulos conveniat. (2) Apud Xen. Mem. I. 6. 3. (3) Vid. Xen. Mem. I. 6. 14. (4) Vid. Xen. Mem. I. 3. 1. conf. IV. 3. 18. et 5. 2. (5) Vid. Xen. Mem. I. 2, 1. 2. 3.

εἶναι τοιοῦτος ὢν, ἐλπίζειν ἐποίει τοὺς συνδιατρίβοντας ἑαυτῷ, μιμουμένους ἐκεῖνον τοιούσδε γενήσεσθαι.

Hisce vero lectis, si quaerimus, quî factum, ut Socrates ejus amicis prudenter, amice et benevole uti maluerit, quam, Sophistarum Oratorumque more, cum hominibus versari, ac, quisnam hujus benevolentiae fuerit effectus, apte haec efficiuntur ex eodem Xenophonte, (1) ubi: ἐγὼ δ' οἶμαι, inquit, τοὺς φρόνησιν ἀσκοῦντας, καὶ νομίζοντας ἱκανοὺς εἶναι τὰ συμφέροντα διδάσκειν τοὺς πολίτας, ἥκιστα γίγνεσθαι βιαίους, εἰδότας ὅτι τῇ μὲν βίᾳ πρόσεισιν ἔχθραι καὶ κίνδυνοι, διὰ δὲ τοῦ πείθειν ἀκινδύνως τε καὶ μετὰ φιλίας τὰ αὐτὰ γίγνεται. οἱ μὲν γὰρ βιασθέντες ὡς ἀφαιρεθέντες μισοῦσιν, οἱ δὲ πεισθέντες ὡς κεχαρισμένοι φιλοῦσιν. Οὔκουν τῶν φρόνησιν ἀσκούντων τὸ βιάζεσθαι, ἀλλὰ τῶν ἰσχὺν ἄνευ γνώμης ἐχόντων τὰ τοιαῦτα πράττειν ἐστίν.

Hac igitur ratione cum Socrates (2) τοῖς ξυνουσῦσιν ostenderet semet ipsum καλὸν κἀγαθὸν ὄντα, καὶ διαλεγόμενον κάλλιστα περὶ ἀρετῆς καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρωπίνων, ita περὶ τοῦ μεγίστου ἀγαθοῦ ἀνθρώποις, περὶ παιδείας, revera fuit βέλτιστος. (3) Nam, ut paucis absolvam, qui Socra-

(1) Mem. I. 2. 10. conf. Plato de Rep. VII. p. 536. E.
(2) Xen. Mem. I. 2. 18. (3) Vid. Xen. Apol. Socr. I. 21.

cratis ferebantur συμφοιτηταὶ, ἕταιροι, συνουσιαστὰι, ὁμιληταὶ, (1) hi, quemadmodum non legibus scriptis, sed contra legibus non scriptis continebantur, ita, Socratis maxime exemplo, eorum οὐδεὶς, οὔτε νεώτερος οὔτε πρεσβύτερος ὢν, οὔτ' ἐποίησε κακὸν οὐδὲν, οὔτ' αἰτίαν ἔσχεν. (2)

Satis jam nobis dixisse videmur de ἐπαγωγῆς Socraticae naturâ, ratione, proposito atque efficaciâ, ut, qualis haec proprie sit, intelligatur. Illustrare autem haec omnia juvat loco, e Platonis Symposio adducto, qui unus omnium maxime methodi hujus Socraticae iter demonstrat. Sermo est Diotimae, quo illa in hunc modum progrediendum Socrati praescribit, ut aliquando ad ideas, ipsumque τὸ καλὸν perveniat.

Qui illuc tendit, ait, hunc oportet ita incipere, ut, juvenis adhuc, ad pulcra corpora accedat, et, si doctor, veluti dux, recte ducat, primum quidem unum tantummodo corpus eum amare, ibique pulcros sermones eum generare oportet, tum vero ipsum considerare, pulchritudinem uniuscujusque corporis alius corporis pulchritudini cognatam esse, ac, si pul-

(1) Videmus igitur, quam longe celebratum illud: αὐτὸς ἔφα, a Socrate et Socraticis fuerit remotum, tum illud etiam assequimur, Socratis discipulos exstitisse quidvis aliud, quam veluti ἀγέλην τῶν μαθητῶν, aut tanquam tyranni ὑπηκόους et κατηκόους. (2) Vid. Xen. Mem. I. 2. 48.

pulcrum visibile (1) persequendum videatur, magnam prodere amentiam, si quis pulcritudinem, quae omnibus corporibus inest, non unam habeat eandemque; hoc autem intellecto, omnia pulcra corpora debet amare, ita, ut vehementem illam unius corporis cupiditatem relaxet et veluti contemnat ac parvi habeat. Dehinc vero animorum pulchritudinem, eâ, quae in corpore versatur, honoratiorem habeat, ita ut, si quis probâ sit animi indole et vel tantillum pulchritudine corporis floreat, hoc ipsi sufficiat, itâque amet ipsum et curet, atque ejusmodi sermones cum pariat tum quaerat, qui juvenes reddant meliores; quo scilicet vicissim cogatur, ut pulchrum contemplatur, quod studiis et legibus (2) inest, illudque videat, omne illud sibimet esse cognatum, ac tandem corporis pulchrum parvum quid existimet. Contemplatum vero studia, eum ad disciplinas ἀπαγαγεῖν oportet, ut vicissim disciplinarum pulchritudinem collustret, ac, illud pulchrum intuens, quod jam immensum apparet,

(1) Vid. Plato, Symp. p. 210 B. ubi: τὸ καλὸν ἐπ' εἶδος, opponitur τῷ κάλλει ἐν ταῖς ψυχαῖς. (2) Vid. Plato l. l. p. 210 C. Nisi verba: καὶ ταῖς νόμοις, tanquam glossema, mavis proscribere, quod facile dederim, νόμοι accipiendi videntur de νόμοις ἀγράφοις. Caeteroquin inter τῷ ἐπιτηδεύματι et νόμοις nulla adest connexio.

ret, non amplius unius (scilicet *pulchrum intuens*), veluti servus, qui unius tantum, sive puelli, sive hominis, sive studii, pulchritudinem diligit, hac ipsa servitute vilis et pusillus existere desinat, (1) sed, ad immensum mare pulchri conversus, illudque contemplans, jam in immensa philosophiâ multos pulcros et magnificos cum sermones, tum animi sensus pariat; donec hîc corroboratus et auctus unam quandam deprehendat disciplinam, quae est ejusmodi pulchri. Conare vero, inquit, omnem mihi adhibere mentis aciem. Quicunque enim eousque ad erotica παιδαγωγηθῇ, imo ἐπαγωγηθῇ, is, quum pulcra ordine et justa ratione contueatur, ad finem jam accedens Eroticorum, repente mirabile quoddam naturâ pulchrum conspiciet, illud ipsum, o Socrates, cujus gratiâ omnes anteriores labores suscepimus, cujusque οὐσία, primum quidem sempiterna, neque fit neque perit, neque augetur nec minuitur, neque partim quidem pulchra, partim vero turpis apparet, aut hoc tempore pulchra, alio vero non pulchra, neque, si ad hoc

(1) Vid. Plato l. et p. l. D. Equidem locum ita accepi, quasi verba: ὥσπερ οἰκέτης — ἐνός, comparationi, et: δουλείαν, interpretationi inserviant ejus, qui βλέπει πρὸς τὸ παρ' ἐν καλόν. Graecismo autem satis usitato μακρότι referendum videtur cum ad τὸ παρ' ἐν, tum ad sequens: φαῦλος ἢ καὶ σμικρολόγος.

hoc refertur, pulcra, ad illud vero, turpis, neque hoc quidem loco pulchra, alio vero, turpis, quasi scilicet pulchrum his sit pulchrum, illis vero turpe. (1) Nec vero ipsum pulchrum oculis nostris se offeret, tanquam vultus aut manus, aut quidquid sit corporeum, neque tanquam sermo aut disciplina, neque tanquam aliquid, quod in sui dissimili, sive animale, sive terrâ, sive coelo, seu hujusmodi aliquo, possit versari, verum tanquam id, quod, secum uniforme, ipsum per se suam semper οὐσίαν conservat, cum caetera cuncta, quae pulchra sunt, ipsius ita sint participia, (2) ut, ubi caetera nascuntur et perenunt, ipsum tamen, ne tantillum quidem, aut augeatur aut minuatur, aut hujusmodi aliquid patiatur. Ab his igitur si quis, per honestum puerorum amorem, sensim paulatimque escenderit, itaque illud pulchrum perspicere incipiat, nae is metam jam prope attigerit. Nam qui justâ ratione ad Erotica aut ipse accedit, aut ab alio addu-

(1) Vid. p. 211 A. In versione vulgatam secutus sum: quamquam, repetito οὐδὲ, lubens equidem legerem: οὔθ' ὅ τι μὲν ὦ καλόν, τ'ὶ δὲ αἰσχρόν. Si quid video, hujus lectionis rationes sunt in promptu. (2) Vid. p. 211 B. Equidem locum ita verti, quasi verba τὰ δὲ ἄλλα κ. τ. λ. accusativus essent absolutus, verum fateor, post τὰ δὲ ἄλλα πάντα καλὰ proprie repetendum esse φαιτασθήσεται, itaque haec verba esse nominativos.

ducitur, is a rebus hujusmodi pulchris; illius pulcri causâ, initium ducens, tanquam per ἐπαναβαθμοὺς, semper studet ἐπανιέναι, ab uno ad duo, et a duobus ad omnia pulchra corpora, atque a pulchris corporibus ad pulcra studia, et a pulcris studiis ad pulcras disciplinas, donec a disciplinis ad eam perveniat disciplinam, quae est non alius, quam illius ipsius pulchri disciplina, ac tandem illud cognoscat, quod revera *est* pulchrum. Hîc demum, si usquam alibi, o amice Socrates, inquit Diotime, homini vita accidit vitalis, quando nimirum ipsum pulchrum ei contueri licet. Quod si quando cernas, non secundum aurum, vestimentum, pulchrosque pueros et juvenes, tibi esse videtur, quorum conspectu adhuc percelleris, neque minus tu, quam multi alii, parati estis, dummodo amasiorum conspectu et consuetudine semper fruamini, si quâ liceret, neque edere neque bibere, sed contueri tantum et conversari. Quid vero, inquit, existimemus, si cui contingat, ipsum videre pulchrum, sincerum, candidum, impermixtum, neque pollutum humanis sive carnibus, sive coloribus, sive, quae hominum multae ejusmodi sunt nugae, sed ipsum divinum pulchrum uniforme valeat conspicere? Num putas, inquit, vitam vilem esse habendam ejusmodi hominis, qui il-

illuc intuetur, illudque, quo par est, contemplatur, unaque cum ipso versatur? Nonne reputas, inquit, hic tantummodo ipsi eventurum, ut, pulchrum spectans, quo visibile nobis, pariat jam non simulacra virtutis, quippe qui non simulacrum attigerit, sed vera, quippe veritatis particeps? Cum vero veram virtutem pepererit et nutriverit, tandem evenit, ut Diis acceptus et, si quis alius, ille certe immortalis evadat."

Palmariae huic descriptioni, ad Ἐπαγωγὴν Socraticam cum cognoscendam, tum dijudicandam, non facile equidem aliquid addiderim. Hoc enim cum, prae infantiâ scilicet meâ, summopere videatur cavendum, ita, ex eodem Platone, (1) illud potius concludam, nimirum: τὸν δέ γε νῦν λόγον σημαίνειν, ταύτην τὴν ἐνοῦσαν ἑκάστου δύναμιν ἐν τῇ ψυχῇ, καὶ τὸ ὄργανον ᾧ καταμανθάνει ἕκαστος — ξὺν ὅλῃ τῇ ψυχῇ ἐκ τοῦ γιγνομένου περιακτέον εἶναι, ἕως ἂν ἐς τὸ ὂν καὶ τοῦ ὄντος τὸ φανώτατον δυνατὴ γένηται ἀνασχέσθαι θεωμένη· τοῦτο δ' εἶναι φαμὲν τ' ἀγαθόν.

Neve mihi aliquis objiciat, haec, utpote Platonica, forte pulchra esse, eadem vero minus valere de Socrate, qualis revera fuit, et ipse exstat apud Xenophontem. Socrates namque, ut vocatur, Xenophonteus, quamvis ἀεὶ

διὰ

(1) De Rep. VII. p. 518. C.

διὰ τῶν αὐτῶν ταὐτὰ φαίνηται λέγειν, ὥστε ἄπειρος καὶ ἀνόητος ἄνθρωπος πᾶς ἂν τῶν λόγων καταγελάσειε· tamen, si quis eos cernat διοιγομένους καὶ ἐντὸς αὐτῶν γίγνηται, πρῶτον μὲν νοῦν ἔχοντας ἔνδον μόνους εὑρήσει τῶν λόγων, ἔπειτα θειοτάτους καὶ πλεῖστα ἀγάλματα ἀρετῆς ἐν αὐτοῖς ἔχοντας καὶ ἐπὶ πλεῖστον τείνοντας, μᾶλλον δὲ ἐπὶ πᾶν ὅσον προσήκει σκοπεῖν τῷ μέλλοντι καλῷ κἀγαθῷ ἔσεσθαι. (1)

§ V.

Aristotelis de Ἐπαγωγῇ *sententia.*

Xenophon et Plato, uti, magni Socratis exemplo, *res* quam *verba*, quaerere malebant, ita, pro suo quisque ingenio, vim Ἐπαγωγῆς hic philosophâ, ille historicâ ratione nobis repraesentavit. Ἐπαγωγὴ enim, qualem nos quaerimus, quamvis neque apud Xenophontem, neque apud Platonem, nomine occurrat, (2) Socra-

(1) Vid. Plato Sympos. p. 221 E. et 222 A. (2) Hujus rei si causam quaerimus, illud non videtur praetermittendum: Xenophontem nimirum et Platonem de industria ideo maxime a vocabulo ἐπαγωγὴ abstinuisse, quandoquidem usus hujus vocabuli unus in paucis lubricus et anceps fuit. Vid. Ruhnk. ad Tim. Lexicon, voce ἐπαγωγαὶ, ubi plurimis exemplis demonstratur, ἐπαγωγὴν, de Graecorum sententia, genus quoddam esse θεωγωγίας vel ψυχαγωγίας, et una cum vocabulo ἐπαγω-

γῇ

crates tamen, ut vocatur, Xenophonteus, eâ sic utitur, deque illâ apud Platonem sic philosophatur, ut nullum restet dubium, quin ipsa Ἐπαγωγὴ nisi legatur, certe agatur. — Verum, quandoquidem oportet justa ratione a rebus ad verba transire, ita jam operae pretium videtur, misso Xenophonte, misso Platone, rem quaesitam, una cum Aristotele, verbis concipere. Sic namque, praesidium nactis, recentiorum de Ἐπαγωγῇ, sive de Ἐπαγωγῇ Socraticâ, sententias facile nobis ipsis licet ponderare, ponderatas autem aut tollere aut abjicere.

Aristoteles igitur, uti primus fuit, qui methodum Socraticam Ἐπαγωγὴν vocaret, ita, quo magis hanc comparando illustraret exprimeretque, μανθάνομεν, inquit, ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ ἀποδείξει.

vi eandem vim habere. Conf. Ast ad Plat. de Rep. II. p. 364 C. ubi « ἐπαγωγαὶ, inquit, sunt incantamenta et fallaciae cujuscunque generis, quibus Dii ita captari et irretiri putabantur, ut, ad quodcunque magi vellent, cogi possent; ἐπαγωγὸν enim vocatur, quidquid conciliandi, movendi vel suadendi atque etiam alliciendi pelliciendique vim habet." Conf. idem Ast ad Theophrasti Characteres p. 148. inprimis vero Alberti ad Hesychium, voce ἐπαγόρωσι, et Hemsterhusius ad Aristophanis Plutum p. 58. Hinc autem cum et Xenophon et Plato a vocabulo ἐπαγωγὴ abstinerent, ita Aristoteles naturalem vocis vim sic aperuit et in lucem protraxit, ut post eum Platonicae imagines et narrationes Xenophonteae tantum non supervacaneae videantur, ad Socraticam methodum uno vocabulo cum declarandam, tum exprimendam.

εἰ. ἔστι δ' ἡ μὲν ἀπόδειξις, ἐκ τῶν καθόλου· ἡ δ' ἐπαγωγὴ, ἐκ τῶν κατὰ μέρος· ἀδύνατον δὲ τὰ καθόλου θεωρῆσαι, εἰ μὴ δι' ἐπαγωγῆς — οὔτε γὰρ ἐκ τῶν καθόλου ἄνευ ἐπαγωγῆς (scilicet λαβεῖν ἐνδέχεται τὴν ἐπιστήμην), οὔτε διὰ τῆς ἐπαγωγῆς ἄνευ τῆς αἰσθήσεως. (1) Hisce lectis, quemadmodum illud jam assequimur, ἐπαγωγὴν non, ἀποδείξεως instar, *descendere*, sed *escendere* atque *educere*, ita neminem nostrum illud certe non tenuit, ἐπαγωγὴν nimirum non, uti nonnulli voluere, comparando tantum procedere, aut, uti aliis placuit, inductionem habendam esse. Sic namque, quod apud Aristotelem habetur, ἐπαγωγὴ non ἀποδείξει, aut συλλογισμῷ, esset opposita, neque idcirco tam late pateret, atque nos eam patere, ex Xenophonte non minus et Platone, quam Aristotele, existimaverimus. Haec vero ut nemo in dubium vocaverit, ita cavendum sane, ne ἐπαγωγὴν συλλογισμῷ, aut ἀποδείξει, sic habeamus oppositam, ut συλλογισμὸν plane non suscipiat. Contrarium enim nos docuit Aristoteles, ubi, ἐπαγωγὴ μὲν οὖν ἐστὶ, inquit, καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς, τὸ διὰ τοῦ ἑτέρου θάτερον ἄκρον τῷ μέσῳ συλλογίσασθαι. Οἷον, εἰ τῶν α γ μέσον τὸ β, διὰ τοῦ γ δεῖξαι τὸ α τῷ β ὑπάρχειν. οὕτω γὰρ

(1) Vid. Aristot. Analytic. Posteriorum I. c. 18.

γὰρ ποιούμεθα τὰς ἐπαγωγὰς. (1) — Verum, quamvis ambo concludant, itaque, sumtis A. B. et C., de Aristotelis sententia, ἐπαγωγὴ et συλλογισμὸς in eo conveniant, ut illa per C, hic vero per B procedat, in eâ per C ad A et B, in hoc vero per B ad C concludatur, tamen, si utriusque characterem respicias, ἡ ἐπαγωγὴ et συλλογισμὸς sibi invicem sunt oppositi. Nam, ut jam animadvertimus, ἐπαγωγὴ, contra ac συλλογισμὸς et ἀπόδειξις, est ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου sive ἔφοδος, sive πρόοδος, sive μέθοδος; (2) tum, quae palmaria videtur Aristotelis animadversio, ἐπαγωγὴ, contra ac ἀπόδειξις, quamvis non probet, τί ἐστι, *quid sit aliquid*, tamen, ὅτι ἢ ἐστὶν, ἢ οὐκ ἔστι, *quod sit, vel non sit*, probabiliter efficit. (3)

Hisce digito tantum monstratis, si quaerimus, quale de ἐπαγωγῇ Aristotelis fuerit judicium, paucis hoc licet comprehendere, si animadvertamus, Aristotelem συλλογισμὸν φύσει

(1) Vid. Aristot. Analytic. Priora. c. 23. Credo, Aristotelem simpliciter illud significasse, illud, unde et ad quod concluditur, id est: τὸ universale, in syllogismo, secundo, in ἐπαγωγῇ vero, tertio sive ultimo haberi loco. (2) Vid. Aristot. Top. I. 12. (3) Vid. Aristot. Analytic. Posteriorum II. c. 7. Conf. ex Xen. Mem. inprimis Socratis sermo cum Aristippo II. 1. et Socratis oratio de temperantia I. 5. ἀπόδειξις ἐξ ὁμολογουμένων tantummodo efficit: ὧν ἂν ἐπιθῇ, ut idem animadvertit Aristot. l. l.

ται μὲν πρότερον καὶ γνωριμώτερον habuisse; ἐπαγωγὴν vero ἐναργεστέραν. (1) Quod vero ne magis dixisse quam probâsse videamur, Aristotelem juvat audire; ubi στάντος γὰρ, inquit, τῶν ἀδιαφόρων ἐνδῷ, πρῶτον μὲν ἐν τῇ ψυχῇ καθόλου. καὶ γὰρ αἰσθάνεται μὲν τὸ καθέκαστον· ἡ δ' αἴσθησις, τοῦ καθόλου ἐστὶν, οἷον ἀνθρώπου, ἀλλ' οὐ Καλλίου ἀνθρώπου. πάλιν ἐν τούτοις ἵστανται, ἕως ἂν τὰ ἀμερῆ στῇ, καὶ τὰ καθόλου. οἷον, τινὸς δὶ ζῶον, ἕως ζῶον· καὶ ἐν τούτῳ ὡσαύτως. δῆλον δὴ ὅτι ἡμῖν τὰ πρῶτα ἐπαγωγῇ γνωρίζειν ἀναγκαῖον· καὶ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησις οὕτω τὸ καθόλου ἐμποιεῖ. (2)

Ut vim hujus argumentationis bene intelligamus, ex Aristotelis sententiâ illud videtur animadvertendum: nos nimirum quamvis sensibus primum percipiamus singulare, tamen ipsam animi perceptionem, quae corpus sequitur, spectare universale, nam, ut ipsius Aristotelis verbis utar, licet αἰσθάνηται μὲν τὸ καθέκαστον, tamen πρῶτον ἐν τῇ ψυχῇ καθόλου. sive, quod idem est, ἡ αἴσθησις τοῦ καθόλου ἐστὶν. Quod ita declarat, ut dicat, notionem *hominis* praecedere perceptionem hujus illiusve hominis, v. c. Calliae; tum vero notionem animalis sequi perceptionem hujusmodi animalis, id est;

(1) Vid. Aristot. Analytic. Priora. c. 23. (2) Vid. Aristot. Analytic. Posteriora. II. 19.

est: quando video Calliam, de Aristotelis sententiâ, primum animadverto, Calliam esse *hominem*, tum Calliam esse *Calliam*, tertio Calliam esse animal ratione praeditum, tum vero Calliam esse animal (*dat Callias een levend wezen is*); et sic porro. Unde, cum ἡ αἴσθησις οὕτω τὸ καθόλου ἐμποιῇ, efficit, ὅτι ἡμῖν τὰ πρῶτα ἐπαγωγῇ γνωρίζειν ἀναγκαῖον. Simul autem videmus, licet ἐπαγωγὴ syllogismo sit ἀναγκαιοτέρα, illum tamen quodammodo φύσει πρότερον εἶναι καὶ γνωριμώτερον. (1) Animus enim, quando cogitat, ab universali ad singulare procedit, ita ut, conspecto Callia, primum notio existat *hominis*, quod, de Aristotelis sententiâ, est universale, tum demum animus ad Calliam, tanquam Calliam, id est, singulare, descendat, itaque in cogitando primum non ἐπαγωγῇ utatur, sed συλλογίζηται, id est syllogismos connectat, atque hinc revera *cogitet*, i. e. *coagitet*. Verum haec quum paulu-

(1) Hanc quaestionem forte ita dirimas, ut dicas, perceptionem subjectivam, quae corpus sive sensus spectat, a singulari ad universale *ascendere*, perceptionem vero objectivam, quae spectat animum, quemadmodum hic, non sensibus, sed per sensus, tanquam ὄργανα, videt, audit rel., ab universali ad singulare *descendere*. Quam distinctionem si assumseris, simul, ni fallor, patet, Aristotelem a magistro Platone de fonte cognitionis humanae non ita dissensisse, quin, ἑκάτερος institutâ, optime in concordiam redigi posse videantur.

lulum aliorsum spectent, et, ut verum fatear, meum captum paene superent, ita, misso Aristotele, lubens jam quaero,

§ VI.

Quaenam proprie Inductio est, quam Cicero vocat?

Cicero, de inductione aliquando verba faciens, « Sunt, inquit, similitudines, quae ex pluribus collationibus perveniunt, quo volunt, hoc modo: si tutor fidem praestare debet, si socius, si, cui mandaris, si, qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Haec ex pluribus perveniens, quo vult, appellatur inductio: quae Graece παραγωγὴ nominatur; qua plurimum est usus in sermonibus Socrates. (1)

Alio vero loco, (2) « Omnis, inquit, argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem ejus, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter si-

(1) Vid. Cic. Topica. 10. Nos vero pro ἐπαγωγὴ iterum legendum censuimus: παραγωγὴ. Correctionem enim Turnebi et Lambini, παραγωγὴ mutantium in ἐπαγωγὴ, Ernesti perperam recepit in textum. Conf. Ernesti in Indice Graeco-Latino voce παραγωγὴ. et ad Cic. l. l. in nota. (2) De Invent. I. 51 et 52.

similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur: (1) velut apud Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam: Dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Quid si vestem, et caeterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis? Illius vero, respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum an illius malis? Hic mulier erubuit. (2) Aspasia

(1) Definitiones, hinc ductas, legas apud Stephanum, in Thes. Ling. Gr. voce ἄγω, Suidam in Lexico, voce ἐπαγωγή. Forcellinum in Lexico, voce *induco*. Conf. Fabius Instit. Orat. V. cap. 11. et Menag. ad Diog. Laertium III. Segm. 53. inprimis vero Quinct. Inst. Orat. V. c. 11. et Turnebus ad h. l.

(2) Captiosa, ne dicam languida et jejuna, mihi esse videtur animadversio Quinctiliani l. l. ubi dicit: « *Hic mulier erubuit merito, male enim responderat*, se malle alienum aurum, quam suum: *nam est improbum. At si respondisset*, malle se aurum suum tale esse, quale illud esset, *potuisset pudica respondere*, malle se virum suum talem esse, qualis melior esset." Haec, inquam, animadversio, tanquam nimis captiosa, languet, nam

I. Socrates, sive Aspasia, non *inducebat*, ut *induceret*, sed ut ἐπαγαγοῖ.

II. Xenophontis uxorem pudebat non *male responsi*, sed *malefacti*, siquidem malefactum est, malle alienum virum, et hujus cupiditatis culpam non sibi, sed alii imputare, unde

III. Etiamsi illa, una cum Quinctiliano, respondisset, *malle se*

sia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est, tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quid si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quid si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utram malis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: Quoniam uterque vestrum, inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. nam et tu mulier optimum virum mavis habere, et tu Xenophon uxorem habere lectissimam maxime vis. Quare, nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque femina lectior in terris sit, profecto id semper, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, ut et tu maritus sis quam optimae mulieris, et haec quam optimo viro nupta sit. (1) Hic cum rebus non dubiis esset assensum, factum est propter similitudinem,

se aurum suum tale esse, quale illud esset, vel sic tamen non potuisset pudice respondere, *malle se virum suum talem esse, qualis melior esset*. Sic enim, quod nolimus, pudor non ex factis, sed ex verbis penderet.

(1) Ex hisce verbis patet, ni fallor, Socratem sive Aspasiam longe aliud quid spectasse, quam ut aut Xenophontem, aut Xenophontis uxorem, *inducerat*. Itaque exemplum hocce, ex Ae-

nem, ut etiam illud, quod dubium videbatur, si quis separatim quaereret, id pro certo, propter rationem rogandi, concederetur. Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea, quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet."

Hoc modo cum Cicero inductionem sibi repraesentaret, ita, quo magis praecipiendo etiam eam describeret, « Deinde, addit, illud, cujus confirmandi causâ fiet inductio, videndum est, ut simile iis rebus sit, quas res, quasi non dubias, ante induxerimus. Nam ante aliquid nobis concessum esse, nihil proderit, si ei dissimile erit id, cujus causâ illud concedi primum volnerimus. Deinde (1) non intelligatur, quo spectent illae primae inductiones, et ad quem sint exitum perventurae. Nam qui videt, si ei rei, quam primo rogetur, recte assenserit, illam quoque rem, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non res-

Aeschine petitum, perperam a Cicerone citatum videtur; nisi dicas, universe illud valere de ἐπαγωγῇ, partim vero de *inductione*.

(1) Num forte pro *deinde* legi debet *denique*? *Extremum* enim, quod sequitur, notat: *bij slot*, neque cum nostro *deinde* ita cohaeret, ut ex eo pendeat.

respondendo, aut male respondendo, longius procedere rogationem non sinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est."

Hisce lectis, videmus, ni fallor, inductionem, qualis describitur a Cicerone, ita proponi, ut a simili ad simile procedens tota conficiatur similitudinibus, quae ex pluribus collationibus perveniunt, quo volunt, exque concessis sensim laqueos texunt ad irretiendum eum, qui semel se interrogandum praebuit. (1) Quibus verbo tantummodo notatis, continuo quaerimus:

§. VII.

Inductionis et Ἐπαγωγῆς discrimen.

Socrates, ut homines ἐπαγαγοῖ i. e. ad καλοκαγαθίαν educeret, primum exempla sive similitudes afferre solebat, quae, uti aliorsum spectare videbantur, ita revera eo ducebant, ut de eo, quod quaerebatur, per similitudinem re-

(1) Inductionem, de Ciceronis sententia, inprimis facere ad irretiendum, maxime patet ex cap. 33. ubi proprio Marte ex civili causarum genere exemplum subjecit. Petitum autem est ab eo, qui per inductionem, *praeter sententiam*, *absque honesto consilio*, scriptum legis contra Epaminondam defendit.

recusare non valerent. Hac autem ratione cum Socrates ἐλέγχων, dextre sane, praejudicatis liberaret opinionibus, ac τύφον sedaret, qui uniuscujusque menti inest, et viam ad καλοκαγαθίαν maxime praecludit, ita, si inductionis *rationem* consideras, quemadmodum Cicero ait, Socrates ab ea non abstinuit. (1) Verum haec uti nemo, nedum ego, in dubium vocaverit, ita perperam quis hinc argumentum ducat, ἐπαγωγὴν et inductionem easdem esse. Hoc enim Cicero dicere nec voluit, nec potuit. Nam, quod vulgo habetur: *pars pro toto*, (2) licet in rhetoricis procedat, in rebus cum distinguendis tum dijudicandis non valet. Hoc ut rite, ut apte efficiamus, opus est, ut non tantum ea exquiramus, quae ἐπαγωγῇ cum inductione intercedant communia, verum, comparatione institutâ, quod nescio an sit maximum, ἐπαγωγὴν ab inductione rursus oportet distinguere. Itaque, nisi ἐπαγωγὴν cum inductione malimus

(1) Recte; nam, uti Aristoteles ait, Top. I. 18. Ἡ δὲ τῆς ὁμοίου θεωρία, χρήσιμος πρός τε τοὺς ἐπακτικοὺς λόγους —— τὸ γὰρ ῥᾴδιον ἐστὶν ἐπάγειν, μὴ εἰδότας τὰ ὅμοια.

(2) Si quaerimus, quare *Inductio*, neque alia ἐπαγωγῆς pars, μετωνυμικῶς v. c. pro ipsa habita sit ἐπαγωγῇ, praeter vocabuli ambiguitatem, (quae tamen, addito *Socratica*, locum non habet) maxime in causis censeo illud: Inductionem nimirum plurimum *lucere*, atque hinc fortasse prae reliquis habere, quo homines alliciat et advertat.

mus confundere, quam, de Platonis praecepto, μίαν ἰδέαν ipsi ἐπισφραγίζεσθαι, ad ἐπαγωγὴν ab inductione recte secernendam, duo maxime videntur animadvertenda:

I. Inductionem a simili ad simile concludere, ἐπαγωγὴν vero, uti Aristoteles (1) nos edocuit, ἔφοδον sive methodum esse, quae ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου escéndit. Quapropter οὐχ ὑγιῶς λέγουσιν οἱ λέγοντες, (2) τὴν ἐπαγωγὴν λόγον εἶναι ἀπὸ ὁμοίου ἐπὶ τὸ ὅμοιον. οὐ γὰρ ὅμοιον τὸ καθόλου τοῖς ὑπ' αὐτὸ. τῆς δὲ τοῦ καθόλου δείξεως χάριν ἡ ἐπαγωγὴ μάλιστα. ὁ δὲ ἀπὸ ὁμοίων ἐπὶ ὅμοιον λόγος μᾶλλον ἂν τὸ παράδειγμα σημαίνοι. ὁ γὰρ λόγος ὁ διὰ τῶν καθέκαστα τὸ καθόλου δεικνὺς καὶ πιστούμενος, οὗτος ἐστὶν ἐπαγωγή. ὁ γὰρ δεικνὺς καθόλου (*qui enim universaliter demonstrat*) ὅτι ἐν πᾶσι ἄριστος ὁ ἐπιστάμενος, διὰ τοῦ λαβεῖν, (*quia exempli gratiá ponit*) ὅτι κυβερνήτης ἄριστος ὁ ἐπιστάμενος· ὁμοίως καὶ ἡνίοχος· ὁμοίως καὶ στρατηγὸς· ὁμοίως καὶ ἰατρός· ὁμοίως καὶ γεωμέτρης, μουσικὸς, τέκτων· δι' ἐπαγωγῆς τοῦ, ἐν πᾶσιν ἄριστον εἶναι τὸν ἐπιστάμενον, τὴν δεῖξιν ποιεῖται. (3).

His-

(1) Top. I. 12. (2) Quinam sint hi λέγοντες, unusquisque cogitatione suppleat; dummodo, quod nos unice volumus, excipiat Ciceronem; hunc enim vidimus, per *inductionem* nomine et re significasse non ἐπαγωγὴν, sed παραγωγὴν. (3) Vid. Suidas in Lexico, voce ἐπαγωγὴ, et, quem exscripsit, Diogenes Laertius III. Segm. 53.

Hisce lectis, videmus, ni fallor, ἐπαγωγὴν non, quemadmodum inductionem, a *re* ad *rem*, ab *homine* ad *hominem*, concludere, sed per κυβερνήτην, per ἡνίοχον, per στρατηγὸν, per ἰατρὸν, per γεωμέτρην, per μουσικὸν, per τέκτονα, id efficere: ἐν πᾶσιν ἄριστον εἶναι τὸν ἐπιστάμενον; quae enunciatio, uti quisque videt, non singularis, sed *universalis* habenda est.

Quibus animadversis, si a *ratione* ad *propositum* respicias, videbis, inductionem et Socraticam ἐπαγωγὴν tanto opere inter se distare, ut,

II. Secundum illam, ratione rogationis, quis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus videatur; (1) ἐπαγωγὴ vero, sive inducat itaque ἐλέγχῃ, seu εἰρωνείᾳ, sive μαιευτικὴν etiam adhibeat, daemonis instar, intervallum, quod Deum inter et hominem habetur interjectum, sic compleat, ὥστε διὰ ταύτην μόνον τὸ πᾶν αὐτὸ αὐτῷ ξυνδεδέσθαι.

Diatriben in Socraticam ἐπαγωγὴν ad finem perduximus. Fateor equidem, me ἑκοντα ἀέκοντι

γε

(1) Sunt ipsius Ciceronis verba, supra citata p. 119.

γε θυμῷ hîc subsistere, et, aegerrime sane, a disputatione abstinere, quae est, de Socratica ἐπαγωγῇ, cum recentiorum, ut vocatur, παιδαγωγίᾳ, comparata. Ambo auguror multa habere communia, ita, ut utraque aeque humanitati ac civitati prospiciat, utraque non minus ingenium acuat, quam animum excolat. Verum, quod doleo, tempus me monet, rerum esse modos, certos denique esse fines. Itaque quod, optimi praeceptoris non minus consilium, quam vestigia secutus, equidem inchoavi tantum, illud jam aliis perficiendum relinquo; sperans fore, ut, qui post me in hisce sunt periclitaturi, minus illi, in his persequendis, difficultatibus premantur.

QUAES-

QUAESTIONES.

I.

« Dialectica vera, ut primum inducta a Socrate est, ita ad praejudicatas deponendas opiniones, verumque in omni causa cum inveniendum solerter, tum naviter propugnandum pertinet, uniceque valere ad philosophiae tuendum decus, tum vero etiam ad provehendam per philosophiam humani generis salutem et felicitatem et potest et debet." Heusd. Init. Phil. Plat. V. II. P. II. p. 3.

II.

Socratica ἐπαγωγὴ, quemadmodum perperam confunditur cum *inductione*, qualis exstat apud Ciceronem, Top. 10 et de Inv. 31 et 32, ita respondet plane ei docendi methodo, quam nos vocamus: *apleiding*. Utraque enim sensim paulatimque a rebus simplicibus ac sensibilibus ad composita et intelligibilia educit, utraque non tantum *res*, verum inprimis *homines* spectat, ac tandem hominis non magis ingenium, quam animum pariter sibi habet subjectum.

III.

Faciendum videtur cum Aristotele, Top. I. 12. ubi « Ἔστι δὲ, inquit, ἡ μὲν ἐπαγωγὴ, πιθανώτε-

ρον

ρον καὶ σαφέστερον, καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερον, καὶ τοῖς πολλοῖς κοινόν. ὁ δὲ συλλογισμὸς, βιαστικώτερος, καὶ πρὸς τοὺς ἀντιλογικοὺς ἐνεργέστερος.

IV.

Aristoteles, pro dialecticae, quo ferebatur, studio, magis rationem, quam propositum Socraticae ἐπαγωγῆς attendisse videtur.

V.

Licet Socrates hîc illîc apud Xenophontem Sophistice agat ac disputet, tamen perperam quis hinc argumentum petat, Aeschinem ac Zenonem Sidonium Epicureum non multum a vero aberrasse, cum Socratem aut σοφιστὴν, aut Scurram Atticum vocarent. Vid. Aeschines in Orat. contra Timarchum p. 168 seqq. ed. Reisk. et Cic. de N. D. I. 34.

VI.

Quae, auctoribus maxime Cyrenaicis et Cynicis, Epicureis et Stoicis, inter τὰ καλὰ et ἀγαθὰ, temporis successu, invaluit disruptio, haec nemini minus, quam Socrati aut Platoni, tribuenda videtur.

VII.

Socrates minus laudandus videtur, quum syllogistice probat et demonstrat, quam ubi ἐπαγαγεῖ ac doctoris partes tuetur.

VIII.

Socratis εἰρωνεία cum ipsius ἐπαγωγῇ amice conspirat.

IX.

IX.

Socrates, ut vocatur, Xenophonteus, tantum abest, ut honestatem utilitati postponat, ut, si a paucis locis discesseris, nil majus habeat, quam ut homines per cognitionem sui ad καλοκαγαθίαν atque ipsam ideam ἐπαγαγῇ.

X.

De Prodico ex Xenophonte judicari plene non potest.

XI.

Plato, quamvis, suo quodam jure, poëtas e civitate ejecerit, excusari tamen vix potest, quod hic illic eorum loca iniquius cum accepit, tum interpretatus est.

XII.

Egregie Cicero de Rep. I. 24, ubi, « ingrediar, inquit, in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse, si errorem velis tollere, ut ejus rei, de qua quaeritur, si nomen quod sit conveniat, explicetur, quid declaretur eo nomine: quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem: nunquam enim, quale sit illud, de quo disputabitur, intelligi poterit, nisi, quid sit, fuerit intellectum prius."

XIII.

Socratis apologia, qualis Xenophontis nomine fertur, utriusque ingenio indigna videtur.

XIV.

Xenophon, cum acerrimo studio veri ac singulari modestia ipsum referret Socratem, ita, fine Memorabilium, non ajendo aut declamando causam pero-

ra-

mivit, sed simpliciter: εἰ δέ, inquit, τῷ μὴ ἀρέσκει ταῦτα, παραβάλλων τὸ ἄλλου ἦθος πρὸς ταῦτα, οὕτω κρινέτω.

XV.

Cum, auctore Platone, *cogitatio* sit λόγος, ὃν αὐτὴ πρὸς αὐτὴν ἡ ψυχὴ διεξέρχεται, περὶ ὧν ἂν σκοπῇ· Theaet. p. 189 E. *sermo* hujus λόγου sit ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου· Soph. 263. E. *scriptioque* sermonis sit εἴδωλον· Phaedro 276. A. dialogi forma, uti eâ usus est Plato, merito videtur commendanda.

XVI.

Locum Xenophonteum Mem. I. 4. 11. transpositione probabiliter sic restituas: Ἔπειτ' οὐκ οἴει φροντίζειν; οἳ πρῶτον μὲν μόνον τῶν ζώων ἄνθρωπον ὀρθὸν ἀνέστησαν· ἡ δὲ ὀρθότης καὶ προορᾶν πλεῖον ποιεῖ δύνασθαι, καὶ τὰ ὕπερθεν μᾶλλον θεᾶσθαι, καὶ ἧττον κακοπαθεῖν. ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἑρπετοῖς πόδας ἔδωκαν, οἳ τὸ πορεύεσθαι μόνον παρέχουσιν· καὶ ὄψιν καὶ ἀκοὴν καὶ στόμα ἐνεποίησαν· ἀνθρώπῳ δὲ κ. τ. λ.

XVII.

Recte Ernesti, in dedicatione ad Stiglizium pag. LXVIII, « quomodo possis melius viâ et ratione progredi, quam si ita quaeque explices, ut lectores non docuisse, sed ab iis didicisse videare."

XVIII.

Recte idem, pag. LXXX. « Illud autem omnibus, qui eos (auctores) enarrare suscipiunt, maxime commendatum esse debet, ut copiam et divitias,

tius, Ciceronis inprimis, et rerum omnium descriptionem intelligere discipulos doceant. Itaque, quemadmodum physici, cum structuram corporis humani demonstrare cupiunt, non vivo corpore utuntur, sed mortuo, eique cutem et carnem omnem detrahunt, ut omnibus tandem ossibus nudatis, partes quibus sustinetur corpus, et juncturae earum cernantur; sic illi copiam rerum et verborum demant, ut totius operis compages appareat."

XIX.

Jus, quod vocatur, ἡγεμονίας, ante bella Persica a Lacedaemoniis occupatum, post apud Athenienses abiit in θαλασσοκρατίαν.

AAN MIJN' VRIEND

I. DE VULLER,

Bij zijne bevordering.

Laat vrij uitheemsche praal der dwazen oog verblinden,
Verheffen 't hoogst geluk, bij Brit en Gal, te vinden;
Hij hunkere naar lof, die vreemde zeden roemt,
Van Holland smaad'lijk spreekt en nimmer 't goede noemt. —
Die bastaardij deed vaak mij 't bloed in 't aanzigt jagen,
En heimelijk de spijt in 't nokkend harte dragen. —
Maar Neêrland wreekt zich zelv' en zijn geschonden eer,
Het toont, als 't voorgeslacht, zijne oude grootheid weêr. —

Waar was een volk, als hier, wij durven 't moedig vragen,
Gereed, voor 't heilig erf, het lieve lijf te wagen?
Waar was ooit braver jeugd, zoo lijdzaam in haar lot,
Zoo ver van wuften zin, zoo trouw aan Vorst en God? — —

Zie

Zie, hoe 't Europa treft! – Het hoort, daar 't ons bewondert,
Hoe Neêrland stout volhardt, en 't, bij de Schelde, dondert,
Hoe Frankrijk krimpt van wee, dat, van Toledo's wal,
De kracht van Holland voelt, en beeft voor 't lofgeschal.
't Gaat, bij 't verachtlijkst volk, in de ingewanden wroeten,
En, smorende in zijn bloed, voor eigen zonden boeten!

Gij deelt in Neêrlands roem, uw moed volhardt, mijn vriend!
Geen lauwerkrans verdort, die vlijt en deugd verdient.
Mogt gij weleer den palm, in Utrechts School, behalen,
't Voegt u, dat borst en hoofd met kruis en lauwers pralen.

A. SIMONS.